Ex libris Valeriani Hyczy
nas

FERDINANDI II.

ROMANORVM IMPERATORIS

VIRTVTES

A R. P. GVILIELMO GERMÆO
DE LAMORMAINI
Belga-Lucemburgico Arduennate
Societatis IESV *Sacerdote*
CONSCRIPTÆ.



ANTVERPIÆ,
Apud IOANNEM MEVRSIVM.
ANNO M.DC.XXXVIII.

FERDINANDO III.

Auſtriaco, Romanorum Imperatori, Germaniæ, Vngariæ, & Bohemiæ Regi.

ANNVE, Imperator Auguſte, vt ſub tuis Auſpiciis, præmaturus veluti partus, in lucem prodeat membrum iſtud totius il-

lius corporis, quod Optimi Parentis Tui Vitam immortalitate dignam complectens, Tibi, simillimo tanti Parentis filio, parturitur. Videbit, spero, M.^{tas} Tua non illibenter in charta hac adumbratas interim virtutes illas, quas in telâ illâ ditissimâ vitæ Parentis tui viuissimis coloribus intextas, ipsemet cum admiratione & imitatione spectasti. Imò id Tibi continget, quod cuiuis filio Patri

suo

ſuo ſimillimo; qui dum Parentem aſpicit, ſeipſum videt. Id enim Mundi de Te iudicium eſt; Tibi, tamquam totius aſſis hæredi, non Regna magis & Imperium, quàm virtutes Patrias obueniſſe.

FERDINANDVS II.

Natus Grætij anno 1578. *die* 9. *Iulij.*

Rex Bohemiæ coronatus Pragæ, anno 1617. *die* 29. *Iunij.*

Vngariæ, Posonij, anno 1618. *die* 1. *Iulij.*

In Imperatorem electus Francofurti, anno 1619. *die* 28. *Augusti, & coronatus ibidem* 8. *die Septembris.*

Obiit Viennæ anno 1637. *die* 15. *Februarij.*

Totius Vitæ eius anni sunt 58. *menses* 7. *dies sex.*

Viduam reliquit Eleonoram Augustam Mantuanam.

Superstites ex Mariâ Annâ Bauarâ, priori Coniuge, liberos quatuor:

Ferdinandum III. *Imperatorem, & ex hoc tres Nepotes.*

Leopoldum Gulielmum, Archiducem, Episcopum.

Mariam Annam, Maximiliani Bauari Electoris coniugem, & ex hac nepotem vnum.

Cæciliam Renatam VVladislao Poloniæ & Sueciæ Regi nuptam.

PRÆ-

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

FERDINANDI *Secundi Vitam, aliorum quà voto, quà Imperio ſcribendam ſuſcepi, & quatuor libris, propitio Numine, abſoluam. Primò exponam eius Natales, & totius Adoleſcentiæ exercitationes. Secundò, quemadmodùm ſuas Hæreditarias Prouincias Princeps adminiſtra-*

uerit. Tertiò, quæ gesserit Imperator. Dum hæc ago; istum, Lector beneuole, De eius Virtutibus accipe libellum, qui in ordine quartus erit. Hunc interim, dum opus integrum plures ob causas adhuc producere non licet, ad tuam orexin vel temperandam, vel, si mauis, acuendam lege; & summam Imperatoris, quem iure merito Apostolicum dixeris, Virtutem cognosce. Inuenies quæ & mirari possis, & cum fructu imitari. Hoc igitur libello, FERDINANDI *Virtutem,*

tem, ſuas tributam in partes, paullò exactiùs conabor explicare; eius enim ego totis triginta & octo annis Græcij, Viennæ, alibi, præſens, neque omnino incurius ſpectator fui. Videbor fortaſſe alicui aliquando minutiora, ac ferè minima proſequi: ſed minima non ſunt, quæ ſolidæ virtutis ſunt argumenta: & quæ in homine priuato exigua cenſeri fortaſſe poſſent, ea in Maximo Principe exigua videri nec poſſunt, nec debent. In Giganteo corpore etiam articuli magni ſunt, &

Tres ordines virtutum Ferdinandi.

admirationem pariunt. Iam verò in exponendis FERDINANDI *virtutibus, primo loco exhibebo eas, quæ peculiari ratione Deum spectant & Cælites, ac eos, qui Deo (cælitibusq; honore censentur proximiores. secũdo eas, quæ ipsum habentis animum perficientes, non tam aliis quàm habenti prospiciunt. vltimo tandem eas enarrabo, quæ in alios etiam deriuantur. Coronidem vitæ ponent, summorum virorum de* FERDINANDI *Virtute, ac laudibus testimonia præclara.*

FER-

FERDINANDI II.

VIRTVTES.

Fides, & Catholicæ Religionis Zelus.

CAPVT PRIMVM.

FIDES in Deum, Christianæ vitæ fundamentum & origo, sine quâ, vt Apostolus ait, impossibile est placere Deo, eximia, suisque absoluta numeris Ferdinando fuit. Illa nõ modò in mente, sed in eius etiam bonis operibus vixit. In tantâ tot Principum ac Procerum Acatholicorum, quibuscum illi fuit agendũ, multitudine, in tantâ eorumdem per-

tinaciâ, ne quidem leuis vmquam illi contra Catholicæ Religionis veritatem vel dubitatio, vel tentatio irrepſit. Vidit complures, vulgò non inſipientes habitos, malle poſſeſſionibus diuenditis ſolum vertere, quàm ad Catholicos tranſire: ipſe tamen ne minimùm quidem eorum vel ſententiâ, vel auctoritate vmquam commotus eſt. Eo tempore, quo illi patriam & commoda Catholicæ Religionis odio poſthabebant, Ferdinandus ſæpiſſimè profeſſus eſt, ſe verò paratum, pro quouis Romanæ Fidei articulo cruciatus, imò & mortem ipſam oppetere.

Ferdinandus pro quouis Fidei articulo paratus eſt mori.

Ex firmâ hac viuaque in Deum Fide, quâ eius animus Deo diuiniſq; myſteriis adhæſerat, ortus eſt ardens ille Catholicæ Religionis tuendæ ac propagandæ Zelus, quo etiam laudatiſſimos Imperatores, qui eum anteceſſerunt, aut

vicit,

vicit, aut æquauit, & successoribus dignum imitatione exemplum reliquit. Annos natus non plures viginti, (quod alibi dictum est,) in ipso suscepti Regiminis exordio, Laureti in agro Piceno, coram Virgine Matre, Deo vouit, vel cum vitæ discrimine abactu-rum se à Styriâ, Carinthiâ, Carnioliâ, Sectas, Sectarumque Magistros. Tertio supra quadragesimum anno, Vngariæ Bohemiæque iam Rex, & Cæsar, idem se in Bohemiâ, illique Regno adiunctis Prouinciis acturum, Cellis (vbi in Styriæ ac Austriæ finibus præcipuâ religione Virgo colitur,) sanctè constanterque vouit. Tandē octo ferè ante obitū annis obstrinxit se voto, nullis se defuturū occasionibus, quas Deus dignaretur offerre, quin Fidem Catholicam in Vngariâ, olim vt Catholicissimâ ac piissimâ, sic sub B. Vir-

Vouet Prædicantium è suis Prouinciis abactionem.

Item è toto Bohemiæ Regno.

Promotionem denique Fidei in Vngariâ.

B. Virginis patrocinio fortiſſimâ feliciſſimâque, protegeret, & modis mediiſque licitis ac honeſtis propagaret. Ad ſimile votum edendum inuitauit, ac induxit è Conſiliariis eum, cuius operâ maximè vtebatur, vt ſcilicet promitteret ſe aduigilaturum, & pro viribus Cæſaris Zelo cooperaturum.

Haud ſegniùs reſtituendæ Religionis votum Deo reddidit, quàm concepit. Primò, vt alibi vidimus, Styriam, Carinthiam, Carnioliam penitùs expurgauit. Deinde ex Bohemiæ Regno, & Morauiâ, & ex vtrâque Auſtriâ Acatholicos Prædicatores omnes dimiſit, Catholicoſque ſuffecit, eo animarum prouentu, vt nonnulli abſque temeritate ſe affirmare poſſe exiſtiment, Ferdinandi Zelo ac operâ centies centena millia hominum ad Eccleſiæ Catholicæ gre-

Putatur centies cẽtena millia hominum ad Eccleſiã reduxiſſe

gremium & caulas eſſe reuocata; adeoque Ferdinandum omni iure poſſe ac debere harum Prouinciarum Apoſtolum dici, aut Apoſtolici Imperatoris cognomento decorari. In Vngariâ ac Sileſiâ ea reparandæ Catholicæ Fidei iecit fundamenta, quibus hodie ſtrenuè Ferdinandus III. paternæ æmulus pietatis ſuperædificat. *Imperator Apoſtolicus*

Zelus hic reparandæ Religionis eò euaſit, vt cetera omnia commoda Catholicæ Fidei tuendæ propagandæque poſthaberet. Sæpè voce, ſæpè ſcripto teſtatus eſt, ſuis ſe Prouinciis Regniſque renuntiaturum citiùs ac libentiùs, quàm ſcienter amplificandæ Fidei occaſionem neglecturum; malle ſolo pane & aquâ vitam trahere; malle cum Coniuge ac liberis ſolo ſcipione inſtructum ire in exilium; malle oſtiatim panem mendicare; malle in fruſta concî- *Pro Fide Catholica Zelus.*

di

di ac diſcerpi; quàm iniuriam Deo Eccleſiæque ab Hæreticis, in ſubditis ſibi Prouinciis hactenus illatam, diutiùs perferre.

Pulſis è Styriâ Acatholicis Præconibus, quidam prouincialium Secretarius, ſiue ſuperſtitione, ſiue Procerum Acatholicorũ precibus ac promiſſis adactus, auſus eſt Dominicis diebus Græti in Prouinciæ palatio Lutheranas conciones prælegere, auditoreſque, qui frequentes è Nobilitate aderant, in Hæreſi confirmare. Statim ac id Ferdinandus reſciuit, ſeuerè prohibuit; ac ne Decreto audacior aliquis illuderet, ſui ipſius corporis cuſtodes armigeros iuſſit præ palatij foribus excubare, adituq; venientes prohibere. Memoriâ digniſſima ſunt verba, quæ adiecit: oppeditũrũ ſe mortem libentiùs, quàm poſt tot ſerias inhibitiones, ſuis ſubditis,

ſuo

ſuo in conſpectu, Acatholicum hoc quale quale publicum exercitium permiſſurum.

Agebatur in Sileſiâ de pace cum Acatholicis Principibus componendâ. Fridlandiæ Dux, penes quem belli adminiſtrandi ſumma poſt Imperatorem poteſtas erat, eam vrgere dicebatur. Ferdinandus reſtituendæ tranquillitatis ac quietis cupidiſſimus, pacem amabat, & verò etiam miſſis legatis curabat. Fuêre intereà qui ſuggererent, nec à Fridlando ſincerè rem agi, nec è bono Religionis eam pacem futuram. Cupidiſſimus propugnãdæ Religionis Imperator, illicò in genua ſe deiecit, & Beatiſſimam Virginem eſt obteſtatus, ſi pax illa eius Filio ipſiq; non eſſet grata; ſi Catholicæ Fidei pernicioſa, auerteret illam porrò, ac perturbaret, quibuſcumque demùm rationibus, modis ac mediis:

Pacem amat, ſed gratam Deo.

diis; etiam, si opus sit, difficilibus & ceteroqui parum gratis.

Non facile est referre, quo perfundebatur gaudio, cùm è proceribus aliquem abiuratâ Hæresi ad veram venisse Ecclesiam inaudiebat. Non modò viribus omnibus datâ occasione Magnates ipsemet ad Fidem prouocabat, aptisque magistris erudiendos attribuebat, verùm etiam hos Fidei magistros ad se aduocabat, & eorum, de quibus agebatur, conditionem ingeniumque edocebat, ac viam monstrabat, quâ eos ad Fidem reduci posse speraret; veræ tandem Ecclesiæ restitutos planè hilaris lætusque excipiebat. Libet hîc verba è multis pauca subtexere, quibus Pragâ per litteras propriâ exaratas manu anno 1623. Rudolpho à Tieffenbach Baroni Austriaco, præstanti militum ductori, Viennæ degenti ad Catho-

Modos inquirit Magnates ad Ecclesiam reducendi

Reuersis ad Ecclesiam gratulatur

tholicam Fidem reditum gratulatus est: *Exoſcularer*, inquit, *tui capitis verticem, ſi tibi præſens eſſem.*

Vix poſſum alio clariùs argumento Ferdinandi in Deum Fidem, Zelumque Religionis teſtari, quàm adſcriptâ hic Codicilli parte, quem vltimæ voluntati adiecit. In hæc verba Hæredem ac ſucceſſores non tam alloquitur, quàm adiurat: *Etſi nos Ferdinandus II. Imperator vrgentibus ex cauſis noſtrum teſtamentum ac vltimam voluntatem ſcripto conſignari iam curauimus: Dei tamen noſtri, & benefactoris ſummi, & Patris beneuoli honor, quem procurare ex gratitudine propter accepta beneficia tenemur, impulit nos, vt vniuerſalem Hæredem noſtrum, dilectum Filium Ferdinandũ Erneſtum, & poſt illum futuros ſucceſſores, iterum nouoq; hoc Codicillo, paternè ardenterq; moneremus, vt Prouincias noſtras, populoſq;, quos eis ſubditos relinqui-*

Hæredi filio Catholicã Fidem codicillo cõmendat.

quimus, commendatos ex corde habeant: eos in nostrâ Verâ, Apostolicâ, Romanâ, in quâ solâ salus est, Catholicâ Fide conseruent: Sectas omnes, prauas & falsas doctrinas, imò quidquid his aditum, causam, occasionem aperire posset, seriò, omni studio, omni conatu auertant, impediant. Hæc & plura alia in codicillo Ferdinandus. Intelligere porrò ex his licet, quo Zelo amplificandæ, tuendæq; veræ Fidei flagrauerit, qui non modò viuus id strenuè curauit, sed etiam moriens ab Hærede, vt vltimam suam voluntatem, curari pręcepit.

Spes & Fiducia in Deum.

CAPVT II.

SIquam aliam virtutem plenis, vt aiunt, manibus Ferdinando Deus contulit, Spem certè & Fiduciam infudit vberrimè. Dei gra-

gratiâ fretus, & Redemptoris pretioso sanguine ac meritis, semper saluti suæ procurandæ operam nauiter impendit, spe plenus fore, vt æternam ab æquissimo Iudice ac misericordiarum Patre assequeretur coronam, quam *Legitimè certantibus* ab eo tribui, etiam publico ipse symbolo testatus est. Nihil occurrit, vmquam quamuis arduum ac perdifficile, in quo Deum sibi propitium non polliceretur. Hinc illud in rebus omnibus, exiguis, mediocribus, maximis, ad Deum Virginemque Matrem, Cælitesque patronos perfugium. Hoc enim planè habuit perpetuum, humana media ad effectum consequendum adhibere diligentissimè: ante omnia tamen rem Deo commendare, ac inprimis ab eo felicem sperare ac præstolari euentum.

In arduis Deo fidebat.

Longum hîc esset rem frequentissi-

tissimam exemplis omnibus velle confirmare. Plura occurrerent, quàm proposita breuitas patiatur. Anno 1619. mēse Iunio Henricus Matthæus Comes Turrianus, traiecto Dannubio, Boëmorum rebellium exercitū ad Viennam, adeoque etiam in suburbiis ipsis collocârat. Conspirantibus cum Turriano non paucis, qui in ipsâ vrbe degebant, grauissimum Ferdinando periculum imminebat. Hæc inter ad aulam se contulit P. Bartholomæus Villerius è Societ. IESV, Ferdinando tunc Regi à sacris confessionibus, petiitque suum Regi aduentum à primo Camerario indicari. Is dum conclauis, in quo Rex degebat, ianuam tacitus aperit, mirum planè spectaculum; Regem intuetur ante Christi è cruce pendentis effigiem humi pronum, deiectumque iacere. Spectaculo attoni-

Ante Christi effigiem prostratus orat.

tonitus, Patri Villerio, quod viderat, aut refert, aut oſtendit, iubetque tantiſper morari. Sub hæc in Regium conclaue Pater inducitur. Tum Rex: *Verſabar, inquit, Pater, in periculis, quæ domi foriſq; imminent, recogitandis: voluebam animo hoſtium in ſuburbiis conatus, Acatholicorum in ciuitate molitiones, quas exactè noui. Cùm nullum ab hominibus præſens viderem præſidium: ad Deum confugi, quod ſoleo; deieci me ante crucem; meum Dominum adoraui; his planè verbis illum ſum allocutus: Domine* I E S V *Chriſte, generis humani Redemptor, tu qui corda intueris, noſti, me non meam, ſed vnicam tuam quærere gloriam. Tamen ſi tibi gratum eſt, his anguſtiis, & hoc hoſtium conatu me deprimere, pudore ſuffundere, hominibus contemnendum dare: non recuſo; fiat voluntas tua; habes me indignum tuum famulum ad nutum quemque promptum paratumq;.* Has preces vix

exſol-

exsolui.& summâ Spe plenus fui. Miram animo tranquillitatem fecit Deus. Irritos conatus hostium, ita spero, Deus efficiet.

Hæc suo confessario Rex Ferdinandus. quem Fiducia non fefellit: Illicò enim adfuit, vt alibi retuli, auxilium, quo & vim & dolos hostium Deus fregit ac animos bonorum omnium erexit. Scio priuatè ac publicè dictum à multis, Christum è cruce pendentem fuisse aliquando cum Ferdinando locutum, iussisseque benè de rebus sperare. Hac super re nihil habeo quod affirmem, vel negem. Si verum est, quod adstruitur à multis; id, sicut & plura fortè alia, Ferdinandi modestia ac humilitas, quoad potuit occultauit. Sed redeamus ad Ferdinandi in Deum Fiduciam.

Fama Christum è cruce Ferdinando locutum.

Quo tempore de Ferdinandi coniuratione & machinationibus,

bus, ac de suo discrimine nuntium accepit Ferdinandus: iniquo facinore hominis, vt par erat, commotus est; verùm qui Spem omnem in Deo positam habebat, nihil habuit prius quàm diuinum implorare auxilium. Dissimulatâ causâ, Religiosis omnibus Familiis preces indixit; vno Deo inspirante votum concepit, Domuíque Probationis Societ. IESV ad S. Annæ, quæ fundationi sufficerent, se tributurum, Deo spopondit. Tantam post hæc felicis euentus Spem hausit, vt alterâ ad se luce venientem Confessarium, diuini iam penè certus patrocinij, his verbis compellârit: *Pater, moneat me opportuno tempore, votum vt persoluam: voui heri dotem Domui Probationis S. Annæ, ex hoc periculo vbi euasero: euadam autem, vt spero, breui.*

Voto, & precibus Religiosorum, summo periculo eximitur.

Allatum est aliquando, complu-

res Reges, Principes, Respub. icto fœdere in eius damna conspirasse. Narrauit paulò post hæc ipse alicui ex familiaribus; narrationi subiecit: *Agant, quod lubet: spero fore, vt quâ facilitate sal aquâ, eâ conspiratio isthæc omnis, diuino patrocinio dissoluatur.*

Allatæ erant litteræ Ratisbonam, vbi erat Imperator, quibus certo certiùs asserebatur, etiam Angliæ Regem totis viribus in Cæsarem arma moturum. Has Ferdinãdus cùm legisset, & qui legẽdas dederat, interrogaret, quid demum fiet? *Deus*, inquit ipse, *in cælo est*. Hæc verba tametsi sæpè in huiusmodi occasionibus vsurpauit: numquam tamen de cælestis patrocinij spe magnificentiùs videtur locutus, quàm cùm Grætium Francofurto renuntiatus Cæsar rediit. Hîc rerum difficultatibus victi deiectique nonnulli

Aureum dictum Ferdinandi.

nulli

nulli cùm inclamarent: vix vllam inueniri rationem, quâ aut præsentia mala auerterentur, aut imminentia propulsarentur; Ferdinandus ad maiestatem simulque lætitiam compositus: *Laboratum est*, inquit, *etiam aliàs olim, & his, & peioribus: nouimus Deo non defuisse modos, quibus consilia hominum machinasq́; deiiceret, quò Ecclesiam suosq́; seruos propugnaret: hodie nec Deo est imminuta potentia, nec deterior facta voluntas; eodem suo hodie sedet in solio, quo olim; æquè potens, æquè bonus; spero in dies meliora.*

De hac Cæsaris in Deum Fiduciâ vna fuit Procerum, militum, ciuium opinio; illam in Deo Cælitibusque altissimas posuisse radices; Ferdinandum Deo sic credidisse, vt meruerit, quoties expetiit, toties diuinum patrocinium experiri. Sæpiùs, cùm Cæsar insigni aliquo facinore publicè pie-

tatem exerceret, ea vox repetita & audita multorum est: Hodie Cęſar hoſtium millia aliquot profligauit.

Charitas in Deum.

CAPVT III.

ASſiduâ, de quâ ſuo loco erit ſermo, rerum diuinarũ, Deique contemplatione aſſecutus fuerat Ferdinandus, vt intelligeret ſummum illud Bonum amore dignum eſſe ardentiſſimo, & qui Seraphim deceret, ne dicam mortales. Lumini huic, quo bonorum omnium fontem Deum nouerat, parem in Deum charitatem exhibere ſemper contendit; ipſaq; in arâ cordis ſeipſum quotidie amoris flammâ conabatur incendere, vt gratum Deo fieret holocauſtum.

aman-

Amantium cùm illud maximè ſit, eius, quem amant, honorem gloriamque enixè curare: in hoc ſtudium omne, operamque poſuit, vt Dei ſui gloriam, decus, nomenque augeret in terris. Dignum memoriâ planè eſt, quod iterum ac tertiò affirmauit: Dei gloriam ſibi ſic eſſe cordi, vt illius augmentum ſi noſſet ſuo decremento poſſe comparari, non cunctaretur ſolio decedere, Coronas ac Sceptra deponere; ad vitam priuatam delabi; ad miſerias redigi; ad mortem contemptu & probris plenam. Cùm preces ad Deum ab aliis poſtulabat, non petebat ſibi hoc illúdve à Deo obtineri, in quod ferè humanus fertur affectus, ſed vt demùm id fieret, quo Dei gloria apud homines augeretur.

Diuinæ gloriæ poſtponit imperium & vitam.

Semper deteſtatus eſt id omne, quo ſciebat Deum poſſe offendi.

Culpam omnem, ac lethale inprimis peccatum, ita cauit, vt malorum maximum. Neque verò crimina, quibus diuina bonitas & maieſtas læditur, in ſe tantùm odit, verùm & in aliis. Extant eius quamplurima in blaſphemias, periuria, ſacrilegia, adulteria, non tam reſcripta quàm ardentiſſimi in Deum amoris documenta. Quicumque in eius acta paulò attentiùs inſpexerunt, vidêre grauiſſimè illum turbari ac cruciari, quoties vel irreuerenter Dei nomen ab aliquo vſurpatum, vel cum contumeliâ traductum audiuit. Huc referendũ eſt, Principem, alioqui mitiſſimum, ſolitum pœnas grauiſſimas exigere ab iis, quos audaciores in Numinis contemptum aduertiſſet.

Addamus & tertium eximiæ in Deum Charitatis argumentum. Nullâ æquè re lætabatur, ac Dei

ſui

ſui cultu ac reuerentiâ. Quando templa celebrari, frequentari Myſteria, diuini verbi præconibus frequentes adeſſe homines, maximè verò quando Euchariſtiam ibi coli vel audiebat, vel videbat, vbi Hæreſis eam antè deſpexerat; tunc verò gaudere, exilire, triumphare. Anno 1630. Styræ ac Welſij: rurſus anno 1636. Laureaci ac Lincij, Auſtriæ ſuperioris vrbibus, ad Comitia cùm Ratisbonam iret, ſubſtitit, vt ſupplicationibus intereſſet, quibus in triumphum octo integros dies in Euchariſtiâ Deus homo defertur. Adfuêre iis ſupplicationibus ex Auſtriâ ſuperiori vniuersâ mortalium plurimi, & verò pietatis non vulgaris ſignificatione. Populi frequentiam ac pietatem primùm cum voluptate, contemplatus eſt Cæſar, deinde ad familiarem Sacerdotem conuerſus, *quantâ*, in-

Chriſti in Euchariſtiâ cultu ſummoperè exultat.

quit, *quamque liquidâ existimas me perfundi lætitiâ, Pater, cùm ante meum obitum hoc loco,* (Lincij accidit) *vbi non ita pridem in venerandam, & sacrosanctam Eucharistiam acerbè ac impiè declamabatur; vnde veluti è malorum quadam scaturigine alij ac alij errores, alia post alias rebelliones emergebant; coràm ac præsens video Deo supplicantium cœtus piißimos, Proceresq́; ac ciues, debitum Deo in Eucharistiâ, spectante me, cultum persoluere? hoc verò mihi gaudiorum omnium gaudium ita iucundum accidit, vt lacrymas continere non potuerim.* Ista Ferdinandus Imperator eâ tum cordis teneritudine, tum oris, oculorum, totiusque vultus ad pietatem compositi habitudine pronuntiauit, vt ille ipse, cui dicebantur, Sacerdos ægrè à lacrymis temperare potuerit.

Cùm pro quouis accepto beneficio gratus Deo esse cuperet, sin-

singulis annis Natali suo redeunte die hoc impensiùs agebat. Colebat eâ die singulariter Deum, vitæque auctori, ob conseruatam ad eum annum vitam, gratias agebat maximas: easdem quouis modo posset vt referret, ad aras agēte Sacerdote, tot offerebat thaleros, quot numerabat annos. Eodem die venientes ad se è Religiosis Familiis, qui sociorum nomine preces deferebant, quibus illi, & pro cōseruato Cæsare gratias Deo agebant, & vt diutiùs conseruatum vellet obsecrabant, planè beneuolè ac peramanter, nec sine voluptate excipiebat. Id verò, aiebat: *mihi percharum est, nancisci homines, qui me in gratiis, quas debeo, nec pares possum, Deo agendis iuuent.*

Recolit quotannis natalem suū diem.

Pia Sacramentorũ frequentatio, ac Eucharistiæ cultus.

CAPVT IV.

SAcramenta vberrimos esse fontes, è quibus bona cælestia in mortales profluunt, semper existimauit. Vt diuinæ gratiæ cupidissimus fuit, ita planè frequens hos fontes adiit. Quinquagesies minimùm annis singulis, & exomologesin facere, & Synaxin sumere cùm fuerit solitus, id verò vsurpabat vel maximè solemnioribus Christi, Virginis Matris, Apostolorum, eorumque Cælitum, quos in Patronos elegerat, festis diebus: tum sanctioribus quibusdam anni temporibus, Quadragesimæ scilicet & Aduẽtus, quando Dominicis singulis diebus, incidentibusque festis, & Pœniten-

Sæpissimè per annum sacramenta frequentabat.

tentiâ animum ſanabat, & Euchariſtiâ reficiebat.

Seriò ac diligenter, non tamen anxiè, vtrique Sacramento parabat ſeſe. Ante Confeſſionem in amaritudine culpas recolebat: nec antè ad Sacerdotis pedes accidit, quin priùs ab Eleonorâ Auguſtâ coniuge, ſi adeſſet, piorum ex more, veniam fuiſſet precatus, ſi quâ illam re læſiſſet, aut verbo. Veſperi ante Synaxin percipiendam, ſeueriore abſtinentiâ cœnulam accîdit, niſi abſolutum ieiunium eo die religio imperauit. Ipſo Euchariſtię ſuſcipiendæ tempore tantum ardorem, pietatem tantam, tot ſuſpiria, tot lacrymas præſeferebat, vt incenſus Dei amore animus planè è corpore Seruatori ſuo obuius ire velle videretur. Cùm anno ſalutis 1624. Sāctioris hebdomadæ feriâ quintâ peccata confiteri, & Chriſti

Modus parandi ſe ad Confeſſionem.

Deſiderium Euchariſtiæ.

Corpus publicè, vt habebat in more, participare ſtatuiſſet; auditâ (fuit vanus rumor,) Confeſſarij abſentiâ, timuit ne voto fruſtraretur ſuo: hoc verò Sacroſanctæ Euchariſtię illo die percipiendæ adeò inflammatum fuit deſiderium, vt illicò toto corpore cœperit ſudore perfundi. Fluebat adhuc ſudor, cùm Confeſſarius adfuit, ſuaque manu, ipſo Cæſare inuitante, tetigit aquas indices ignis, quem Deus in animo pio excitauerat.

Hæc Sacramenta cùm frequens ac piè adierit, non defuit aliis etiam adminiſtrandis, quâ licuit ratione, piè itidem ſanctéque cooperari. E ſacro fonte toties libens infantes ſuſcepit, quoties vel è Proceribus, vel etiam è famulis domeſticis, aliquis id expetiit. Si quando Regnorum curis præpeditus adeſſe non potuit, elegit ex

Opti-

Optimatibus, quem ſuo nomine iuberet pio munere defungi. Sacro Chriſmate ſolemni ritu Confirmandos, etiam cum voluptate obtulit Antiſtiti; eâ ipsâ manu, quâ Sceptrum tulit, faſciâ eorum frontẽ obſtrinxit. Id officij Chriſtiano Gulielmo Marchioni Brandenburgico, paulò antè Catholicis adſcripto, cùm præſtaret in Oratorio Collegij Viennenſis Societ. IESV, tanta in vtroque pietas exarſit, vt neuter lacrymas cohibere potuerit. *Memorandum pietatis exemplum.*

Exigit locus hic, vt ſolemnem Auſtriacis Principibus in Euchariſtiam cultum, ac reuerentiam Ferdinando II. non modò non defuiſſe, ſed planè præ ceteris quamplurimis fuiſſe oſtendam. Recurrente tempore, quo Chriſtianorum pietas octo integros dies Euchariſtiæ colendæ ornandæque attribuit, numquam Ferdinan- *Chriſto in Euchariſtiâ triumphanti famulari ſolitus eſt.*

dinandus à ſupplicationibus abfuit: pedes, nudo capite, ſolâ floreâ redimitus coronâ, facem dextrâ præferens, quotannis Deo ſuo triumphanti famulatus eſt. Accidit aliquando, vt diutiùs geſtatâ face brachium manuſque intumuerit. Subſecutâ die ſupplicationi intereſſe alteri cùm vellet, maleque affectum brachium è collo ſuſpenſum haberet, è Proceribus aliquis Cæſari à face ferendâ, eâ die ceſſandum aſſeruit; at ipſe, *Supereſt*, inquit, *adhuc manus altera, quâ Deo ſeruiam.*

Rudolphi I. exemplum ſecutus.

Quando aut exeunti, aut redeunti in aulam occurrebat Sacerdos Euchariſtiam deferens, Rudolphi I. imitabatur exemplum. Illicò venerabundus exiliebat curru, fixis etiam lutulentâ in humo genibus, Deum adorabat: Sacerdotem, ſiue ad ægrotum ab Eccleſiâ, ſiue ab illo ad hanc euntem

tem pedes proſequebatur. Græcij in Euchariſtiam cùm incidiſſet, non modò Presbytero ad infimæ ſortis hominem in ſuburbium properanti præſtò fuit, ſed ægroti etiam paupertatem mirificâ liberalitate erexit.

Plurima illi in tantâ Regnorum turbatione, belliſque difficilia & grauia cùm occurrerint, hoc habuit in omnibus ſolemne; ad præſentem diuini Numinis opem impetrandam, publicum Euchariſtię cultum indicere. Itaque ſæpiſſimè modò in vno, modò pluribus in templis, ipſoque non raro Aulæ ſacello, Euchariſtiam iuſſit publicè proponi colique. Ipſe ceteris, vt præiret exemplo, integras ante illam horas deiectus in genua humillimè ſupplicauit Deo. Statas quadraginta horarum preces, tribus ante cineres diebus, in Societatis IESV templis inſtitui ſolitas, fre-

Turbatis rebus, Euchariſtiam curabat exponi.

frequentauit quotannis, Deoque in Euchariſtiâ tunc deſeruiit profuſiùs, cùm alij voluptatibus indulgent liberiùs.

Amabat piorum Sacerdotum audire Miſſam,

Miſſæ, hoc eſt, Sacrificio, in quo ille ipſe eſt victima, qui ſummus æternuſq; Sacerdos eſt, non modò intererat puro corde, ac reuerenter, ſed amauit etiam eos potiſſimùm coram ſe Sacris operari, quos credidit Deo à pietate ac Sanctimoniâ commendari. Velim nulli vmquam excidere, quod adſcribo. Neſcio quâ ex causâ factum eſt, vt ex iis, qui à Sacris Cæſari erant, nemo aliquando adeſſet. Ergo loci, in quo Aula erat, Sacellanus ab eo, cui incumbit prouidere, inuitatus eſt ad Miſſam coram Cæſare dicendam. Iam Sacerdotalibus ornatus veſtibus Sacrum auſpicaturus erat, cùm Cæſar nouum hominem intuitus, ex illo ſciſcitatur, an Sacrâ animum exo-

exomologesi expiasset? hærente illo, ac tacitè negante, *oporteret*, subintulit, *antè confiteri.*

Oratio, & Lectio sacra.

CAPVT V.

ORationis, Sacræque lectionis studium, quo Ferdinandus excelluit, poterit Principibus exemplo esse, quod imitentur. Nemo hominum causari iure poterit publica negotia, quasi ea precandi meditandique diuina tempus præripiant. Ferdinandus Imperij, Regnorum, & multarum Prouinciarum negotiis distentus, tot bellorum curis implicatus, nouus Dauid, penè septies, quandoque etiam sępiùs, in die laudem dixit Deo.

Manè experrectus, inuocatâ primùm SS. Trinitate, diem istâ

Ecclesiæ precatione auspicabatur: *Per signum Crucis* ✠ *de inimicis nostris* ✠ *libera nos Deus noster* ✠. Quibus verbis breuissimam, sed pietatis sensu plenissimam interiiciebat meditationem, quæ in precatorio eius libello inuenta est: *Per signum Crucis* ✠, in quâ Christus IESVS, Dei & Mariæ filius, verus Deus, verus homo, Saluator mundi, pro nobis, ineffabili, incomprehensibili charitate erga Deum, erga nos homines, humilitate, mansuetudine, patientiâ, fortitudine, & constantiâ, atque paupertate, inter duos latrones passus & mortuus est. *De inimicis nostris* ✠, Hæreticis, & eorum erroribus, Mundo & eius vanitatibus, Carne & eius cupiditatibus, dæmone & eius fraudibus: *Libera nos Deus noster* ✠. Tu enim solus scis & potes. Strato egressus, antequam cubiculo egrederetur vestibus induen-

Manè statim à lecto horam orationi tribuebat.

duendus, integram Orationi piæque meditationi horam, ante altare ad eum vsum paratum, quotidie impendit. Orationem conclusit Dominicâ precatione & salutatione Angelicâ pro filio Rege, ante S. Ignatij Confessoris effigiem, expansis in crucem brachiis, septies recitatâ; & infixo quinquies in Christi vulnerum honorem, terræ osculo. Consuetudinem hanc constanter adeò vitâ totâ tenuit, vt ne itineribus quidem, ac inualetudine impeditus, eam dimiserit. Libet hîc præclarum huius rei testimonium adscribere. Peractis Ratisbonæ Comitiis anno 1637. Viennam mouit Ianuarij die 23. eodemque Straubingam venit; eâ valetudinis conditione ac statu, quem viderunt omnes. Hîc ad Confessarium, qui æger lecto detinebatur, quas subiicio, suâ manu exaratas litte-

In tantâ maiestate quanta demissio.

litteras dedit: *Reuerende in Christo Pater. Hactenus semper in vsu habui meas orationes, antequàm me induerem, per horam dicere: quod mihi satis difficile erit in hoc itinere continuare; cùm quotidie horâ quartâ surgere deberem. & licet in illâ re planè nullum votum habeam: peto tamen à R.V. consilium, an in aliquo dispensare possem. Ego, laus Deo, benè valeo. Straubingæ 24. Ianuarij, 1637.*

Duas quotidie Missas audiebat.

Matutinæ orationis horâ absolutâ, & mox indutus, duobus Sacerdotibus successiuè ad aras operantibus aderat, pietate summâ. Secundo Sacro absoluto, Lauretanas B. Virginis Litanias Sacerdote præeunte recitabat, nisi eâ ipsâ die vellet adesse cantoribus musico illas concentu modulantibus: quod vsurpatum vidimus post decantatas Vesperas diebus Dominicis, festisque omnibus ac Sabbatis. Die decurrente sub-

ſubtrahebat ſe negotiis, iterumque Orationi ac in ſeipſum inſpectioni horam mediam dabat. Ne quidem, cùm venationi vel aucupio intentus eſſet, hæc neglexit. Dum fera exſpectatur, aut Ardea, ipſe Deo plerumque vacabat, & ſibi.

In ipsâ venatione ſe recolligebat.

Veſpere, antequàm cubitum concederet, mediam horam vt minimùm in Oratione & conſcientiæ examine perſtabat, & ad mortem ſe comparabat, non ſecùs, ac ſi eâ nocte foret ſibi moriendum; & in eam rem ſubnectebat orationem ad B. Virginem, & ad Angelum Cuſtodem, pro bonâ morte, vnà cum profeſſione Fidei, deſumptam ex parte ſeptimâ Manualis piarum precationum P. Petri Ribadeneiræ, quod aſſiduè & quotidie manibus terebat. Vltimis vitæ annis catarrho grauatus cùm facilè obdormiret, non ſemel

Parabat ſe quotidie ad mortem.

ſemel viſus eſt vltra horam cum ſomno luctari, vt preces perſolueret. Eleonoræ Imperatrici ſuadenti aliquando, ne tantam ſibi vim contra ſomnum inferret, ſeque in lectum reciperet, reſpondit: *Placétne, vt pecudis more ad ſomnum me componam?*

Vtebatur iaculatoriis orationibus.

Præter Orationes diurnas vocales quotidianas, recitationem Coronæ B. Virginis, eiuſdemque Officij, & Officij pro defunctis, & ſeptenarum Litaniarum (Lauretanarum, omnium Sanctorum, de Nomine IESV, ad Sanctos Germaniæ Patronos, ad Sanctos Milites, pro Defunctis, & aliarum ad B. Virginem è ſacrâ Scripturâ deſumptarum.) vſum quoque frequentiſſimum habebat Orationum, quas Chriſtianæ vitæ magiſtri iaculatorias vocant, quia iis quaſi iaculum ad cælum Deumque animus celerrimè dirigitur.

Vel

Vel ipsâ nocte intempestâ cùm euigilaret, in huiusmodi voces erumpebat: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ; tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe: Monstra te esse matrem:* & id genus plurimas. Grauioribus vrgentibus periculis Psalmos habuit selectos, quibus Dei auxilium imploraret: ij fuêre secundus, trigesimus, trigesimus quartus, quadragesimus quintus, quinquagesimus tertius & octauus, sexagesimus septimus & octauus, septuagesimus, nonagesimus.

Diuinis Officiis & frequens & libens adfuit. Cùm aliquando asseruisset tribus in rebus numquam sibi tempus longum visum: primo inter eas res loco, diuina officia memorauit. Non semel accidit, vt Sabbato quatuor ab Vrbe leucas absens, incredibili celeritate accurrerit, vt primis Vesperis interesset.

esset. Obiicienti stabuli Præfecto perituros eo cursu equos; *Pereant,* inquit, *dum adsimus; alij, qui nos vehant, non deerunt.* Supplicationes publicas sic frequentauit, vt omnibus fuerit non ad celebritatem modò, sed etiam ad pietatem incitamentum. Vultu totóque corpore ad Christianam demissionem composito, manu rosarium seu precatorios globulos gestans & decurrens, vni Deo Cælitibusque intentus incessit. Grætij Princeps quispiam ad Archiducis Ferdinandi latus incedés, cœpit cum eo sermonem velle miscere: Archidux ad eum placidè conuersus: *Oremus,* inquit, *nec simus supplicanti populo huic scandalo.* Sed illud huius generis admiratione dignissimum. Grassabatur in Imperio Gustauus Seciæ Rex, & victor susque deque miscebat omnia. Vrbanus VIII. Pont. Max. vt Catho-

Exemplum imitatione dignum.

tho-

tholicæ Reipub. Deum placatum faceret, Iubilæum præcipuè Germanis concesserat. In eam rem indicta Viennæ fuit supplicatio ab Aulæ templo, ad S. Stephani Cathedralem ædem. Hora supplicationis cùm adesset, copiosa cœpit effundi pluuia. Fuêre, qui Cæsari suaderent, à Supplicatione vt abesset, cælo scilicet grauiore ac pluuio; pernegauit. Saltem curru veheretur: renuit. erant lutulentæ plateæ: per lutum incessit. è tectis & canalibus copiosus imber cadebat: contempsit. fluebant per compita riuuli, vt à ciuibus asserculi sternerētur transituro: transiuit, amictu vili, manibus madido sub pallio compositis, demissis in terram oculis; cùm pilei oras vel limbum densissimè ruens pluuia in faciem depressisset, ipsumque in collum defluens imber penetraret. Hîc non silebo, quod incla- *Aliud.*

mauêre permulti, eâ die, eâque supplicatione à Ferdinando de Sueco triumphatum esse: eâ eius diei Cæsaris humilitate fractam fuisse victoris Regis superbiam. Certè non ita diu post in ipso conflictu glande plumbeâ traiectus occubuit.

Ferdinandus sacræ lectioni deditus.

Superest sacræ Lectionis studium. Antequam renuntiaretur Cæsar, Surij de Sanctorum vitis historiam sexies legerat (quod non crederem, nisi ex eius ore haberem;) nec Imperator renuntiatus ab eâ lectione destitit. Vitas Patrum recognitas legit diligentissimè; eorum etiam omnium, qui sacros ordines vel primò instituerunt, vel ad primam rationem atque normam reuocarunt, aut aliàs nostro sæculo Sanctitate conspicui fuerunt. Nihil vmquam ab Indis, Sinis, Iaponibus, de Fidei Religionisque Christianæ in-

cre-

cremento aut perſecutionibus allatum eſt, quod non attentè perlegerit. Sacratioribus feſtis Chriſti naſcentis, circumciſi, à Magis adorati, patientis, reſurgentis, alium atque alium quotannis à ſuo Confeſſario auctorẽ petebat ſibi ſuggeri; cumq́ue poſtremis annis noui nihil de eo argumento reperiretur: *Redibo*, aiebat, *ad meum Vincentium Brunum*, *aut Ludouicum de Ponte*; quorum meditationes ita ſibi fecerat familiares, vt dixerit aliquando, ſe eas propemodum complecti memoriâ. Quotidie vel vnum caput ex libello Thomæ de Kempis, vel aliquot ex eo ſelectas ſententias; rurſus quotidie compendium vitæ alicuius è Cælitibus, qui eo die coluntur, legit. At ſacros libros, quos Deo dictante exaratos credimus, non modò crebrò, ſed planè piè, eâque quæ decet ſummi Imperatoris reſcri-

pta & præcepta, reuerentiâ euoluit expenditque. Iter facturus, aut venationis vel aucupij causâ plures dies vel septimanas ab vrbe absuturus, designabat auctores vnà deferendos, quos horis opportunis lectitabat. Verbo, lectione ita capiebatur, vt credam Balthasarem Comitem à Thanhausen, de quo alibi, à Ferdinando, cui erat familiarissimus, hausisse, quod dixit aliquando, cariturum se libentiùs viuendi, quàm legendi facultate.

Conformitas Voluntatis cum diuinâ.

CAPVT VI.

DIuina Voluntas Cynosura fuit Ferdinando, in quam vnam intentus, voluntatis suæ nauim semper est moderatus. Hoc egit

egit perpetuò, vt disceret id vnum velle, quod Deo luberet. Laboriosè quod conatus est, feliciter est assecutus: nam eò deuênit, vt in diuinâ voluntate & prouidentiâ suauissimè conquiesceret. Audiui cum admiratione eum dicentem: *Iam pridem curæ molestiæq́; me confecissent, ac in sepulchrum abdidissent, nisi me meaq́; omnia integrè vnius Dei prouidentiæ commisissem, & Iouialem ac lætam naturam Dei dono nactus essem.* Et certè fieri vix potuit, vt homo ferret, quæ Ferdinandus tulit, nisi gratum fuisset ea pati, quæ Deus aut immittebat, aut permittebat. Mirabitur posteritas, quod nos suspeximus: in crebris certisque periculis, quæ ipsi, filiis, genti, prouinciis, regnis interitum exitiumque minabantur, numquam fuisse deiectũ animo; numquam erupuisse in querelas; vnam eam vocem emisisse: *Fiat Dei voluntas:*

Nescit aduersis succumbere id volẽs, quod Deus.

luntas: & quod antiquæ patientiæ exemplar Iob prædicabat: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen eius benedictum.* & hac ratione solabatur suos, si quando tristiores conspiceret.

Vir probus, magniq́ue nominis Dux, cuipiam è Consiliariis intimis, tum ei, qui Cæsari à confessionibus erat, dixit aliquando rem in eo esse, vt post Ferdinandum Austriacorum nullus in Cæsarem eligatur; hactenus Austriacos, ad eam dignitatem diuitiis ac potentiâ velificatos esse; hodie Ferdinandi prodigâ liberalitate ea esse subducta præsidia: adeoq́ue nec diuitias superesse, nec vires; ad paupertatem ventum esse, & prope ad egestatem. Cùm ista ad Ferdinandi aures delata fuissent: modestissimus Imperator hæc respondit: *Res mortales omnes suam habere periodum; nasci, crescere, deficere:*

Magna resignatio, simulq́ fiducia in Deum.

re: fieri posse, vt Austriacorum Imperium in ipso concludatur; & si Deo ita visum est, se non modò non refragari, sed nec tristari; Deum suo arbitratu ac voluntate his illísve dare Imperia & Regna; humanis ad hoc aut opibus aut potentiâ non egere, quas dare & auferre potest, cùm lubet. Adhæc, Rudolphum I. à Deo euectum esse ad solium, cuius tum nec opes, nec vires possent cum iis conferri, quibus hodie Archiduces Austriæ Dei beneficio pollent.

Inciderat sermo de malis quotidie emergentibus; bella è bellis nasci; discrimen ad discrimina gradum fieri; exhauriri opes; vires eneruari. Nunquam Christiano Cęsare vocem magis dignam protulit Ferdinandus: *Faciamus*, inquit, *quod in nobis est, & sinamus hæc & nos à Deo regi ac dirigi, nos eius conformemus voluntati, Satagamus vt cælum lucremur & beatitudinem consequamur, Deus omnia benè disponet.* Ceterùm

Vox Christiano Cæsare digna.

rùm hanc ſuæ voluntatis cum diuinâ conformandæ curam non in aduerſis modò ſuſtinendis, ſed in proſperis etiam optandis habuit perpetuam. Vnico rem hanc exemplo, ſed planè præclaro, illuſtrabo. Fūdatæ ſalutis anno 1616. ad Ferdinandum Grætij degentem Pragâ perſcriptum eſt, Maximilianum Archiducem, Rudolphi & Matthiæ Cęſarum fratrem, rem ipſius ſtrenuè agere: dixiſſe illum Matthiæ Cæſari, nolle ſe Pragâ excedere, niſi in Regnorum Prouinciarumque hæredem Ferdinādum vidiſſet adoptatum. Retulit hæc Ferdinandus Rectori Græcenſis Collegij Soc. IESV: ſubinde inſtitit, vt negotium curaret Deo ſociorū precibus commendari, ita tamen, vt non aliud hi à Deo peterent, quàm vt eius fieret voluntas. Addidit ſub hæc, aurea verba: *Pater, ſine iactantiâ ac*

vano

vano tumore dictum volo, hæ meæ quotidianæ ad Deum sunt preces: Domine, si est ad laudem & gloriam tuam, & ad salutem meam, vt maior sim quàm sum: exalta me, & ego glorificabo te. Si est ad laudem decusq; tuum, meamq; salutem, vt persistam in gradu, quo sum: conserua me, & ego glorificabo te. Si est ad laudem & gloriam tuam, & ad meam salutem, vt in humiliori gradu sim: humilia me, & ego glorificabo te. Post tam insigne cum diuinâ conspirantis humanæ voluntatis exemplum, aliud subtexere hoc loco non lubet, etsi alia permulta non desint.

In quauis fortunâ Deum glorificare paratus est,

Deuotio erga Virginem Dei Matrem.

CAPVT VII.

POst Deum, Virgini inprimis terræ cæliq; Reginæ addictus fuit. Illi præcipuum non modò

 cul-

cultum, ſed amorem etiam impendit. Vt patronam cliens reuerebatur, vt filius amabat matrem. Quotidianum ei certum precum penſum perſoluit, dum vixit. Nulla eſt in vtrâque Auſtriâ, nulla in Vngariæ Bohemiæque Regnis, nulla in Styriâ, Carinthiâ, Carnioliâ, B. Virginis pia Sodalitas, in cuius Album nomen ſuum non retulerit; imò in cuius Album, eius exemplo, Auguſta Coniunx, Rex, Regina, ac liberi ceteri ſua quoque nomina non inſcripſerint. Petiêre hoc ipſum in remotiſſimis Prouinciis poſita Sodalitia, & inter cetera Inſulenſe apud Flandros, & impetrauêre facillimè; nihil enim magis optabat Cæſar piiſſimus, quàm vt vbique inter Mariæ ſeruos nominaretur.

Sodalitatibus Parthenicis ſe inſcribit.

Et ſuos exemplo trahit.

Ad loca pia, & à præcipuo in Cælites cultu celebriora libenter peregrinatus eſt, præſertim iunior:

B. Virg. peregrinationibus colit.

nior: ad nulla tamen libentiùs, quàm ad Virginis templa. Eiuſmodi peregrinationes & Græcio & Viennâ ſuſcepit plurimas, quas hîc referrem, niſi alio loco Lauretanam, Ottinganam & Cellenſem, aliaſque id generis retuliſſem. Vix vmquam aliquid grauioris momenti ſenſit imminere, quin concepto vel peregrinationis, vel donarij voto, Virginis opem implorârit, & obtinuerit. Dixit aliquando, nihil ſe vmquam à B. Virgine petiuiſſe, quod non impetrârit. Bona vera & certa petebat ſimpliciter; cetera adiectâ conditione, ſi eſſet è re gloriæ Dei. Ratisbonæ 1636. cùm in comitiis degeret, peregrinationem Cellas vouit, & cum eo Auguſta, ſi Ferdinando III. Romanorũ Regnum ab Electoribus deferretur: ibidem donarium Bogenbergenſi Virginis templo, ſi Adamus Comes

Et ab eâ qua petit, impetrat.

Schwartzembergius, Brandenburgici Electoris princeps Legatus, idemque Catholicæ fidei cultor (vir prudens & cordatus, qui vt reualeret Reip. multùm intererat,) sanitati restitueretur. Secuto euentu, voti vtriusque reus, secundum illicò exsoluit: de primo pridie obitus Augustam allocutus: *Meminerimus*, inquit, *magnæ Matri reddere, quod vouimus: vtrique nostrûm Cellas ire si minùs liceat, alterum certè ire necesse est*; quemadmodum post anni primi luctũ etiam ire decreuit Eleonora Imperatrix vidua.

Integros viginti annos bellis petitus, armorum suorum summam præfecturam semper Virgini commisit. Huius imaginem in regio vexillo, meliori omine quàm aquilam, iussit militi præferri. Hanc non modò verbo, familiarique sermone, sed datis ad

Du-

Duces litteris mandatiſque *Generaliſsimam* nuncupauit: non ſecus ab exercitu voluit coli, quàm armorum moderatricem: in eos, qui minùs reuerenter habuerunt, egit vt in transfugas, & non ſolùm diuinâ, ſed militari etiam lege reos. Delatum eſt ex Italiâ, à Cæſariano milite Virginis templum direptum fuiſſe ac expilatum: illicò ſuâ manu Italico idiomate ad ſupremum Tribunum litteras dedit 11. Nouemb. 1629. quas Latinè redditas ſubiicio: *Dilecte Comes: Per occaſionem Mercatorum ſcripſi tibi hodie manè id, quod intelleximus de exceſsibus & facinoribus commiſsis, vti dicitur, à meo milite aduerſus imaginem Benedictæ Virginis, & Sanctiſsima Sacramenta. Ex alligatis autem litteris cognoſces plura in particulari. Chare Comes; noſti quot Gratias & victorias acceperim de manu Dei per interceſsionem Sanctiſsimæ eius Matris, Genera-*

B. Virgo Generaliſſima Ferdinandi.

Ipſe verò iniuriarum eius vltor acerrimus.

neralißimæ meæ. Quòd si verò milites mei non absisterent ab hisce suis sceleribus; timendum est mutari posse gratiam in punitionem. Mando tibi igitur quàm possum seriò, vt super hac re diligentissimam inquisitionem instituas, & sontes seuerißimo exemplo castiges, quouis respectu seposito; prout facturum non dubito eum Ministrum, qui Gratiam Domini sui desideret.

S. Benedicti Monachis è monte Serrato ab Hispaniâ in Austriã profectis, optatum in suburbio Viennensi locum Ecclesiæ in Virginis Dei genetricis memoriam construendæ, Monasterioque erigendo, concesserat Ferdinandus. Tribunus præsidiario vrbis militi præfectus incommodum ratus, eo loci molem tantam erigi, multa opponebat: accedere ad propugnacula ciuitatis plus quàm expediat; posse hostibus munimento cedere, si Viennam contingat obsi-

obſideri; remouenda hæc eſſe ab arcibus, non admouenda. Cognouit Tribuni querelas Cæſar, & illicò: *Deus bone,* inquit, *quid cauſatur Tribunus? at ego nullum tuendæ ciuitati propugnaculum aptius noui, quàm Virginis templum: malo Virginem in proximo coli, quàm in vrbe militem eſſe: ſecuriorem mihi tutelam ab eâ polliceor, quàm ab hoc. Dicatur Tribuno, me in ſententiâ perſiſtere; eo loci, quo dixi, velle templum conſtrui; nihil eſſe quod à Virginis templo timeatur, plurimum autem quod ſperetur.*

Virginis templa, vocat vrbium Propugnacula.

Actum eſt Decembri menſe 1636. Ratisbonæ, vt Laurentio de Hoffkirchen Baroni Auſtriaco rebelli, qui plures annos contra Ferdinandum hoſtibus militauerat, Cæſaris Ferdinandi clementia locum faceret ad veniam. Erant multa quæ diſſuaderent, vnum fuit quod Cæſarem in petita impulit. Dictum eſt Virginis imaginem,

Condenatione Perduellionis redimit Virginis imaginem.

nem, Boleslauiæ in Bohemiâ celebri populorum accursu coli solitam, in Hoffkircheri potestate esse; illam recuperari posse, pristinoque honori restitui, si ille in gratiam recipiatur. Vt hæc piissimus Cæsar audiuit, mandauit nonâ Decembris litteras patentes expediri, quibus Laurentio Baroni de Hoffkirchen clementer venia concedebatur, hac expressâ conditione & pacto, si is Dominæ nostræ Virginis Beatissimæ imaginem, vt pollicebantur, qui pro illo agebant, secum referret. *Gloria Virginis studet.* Ardenter cum Romano Pontifice egit, vt Virginem sine originali maculâ fuisse conceptam pronuntiaret. Hoc idem officij à Ferdinando filio, cum ipso Conceptæ Virginis die anno 1625. Vngariæ Rex inauguratus esset, factũ esse, magnopere gauisus est. Quandocumque vel sua confessurus peccata

cata formulam Ecclesiæ consuetam præmittebat, vel etiam aliàs recitabat & Deo confitebatur, post Deum adiungebat *Beatissimæ & semper immaculatæ Virgini.*

Deuotio in Sanctos.

CAPVT VIII.

QVi Cælitum Reginam singulari, vt dictum est, obsequio coluit, ipsos etiam Cælites veneratus est. Quotidie omnes cum Christo regnantes Sanctos in patrocinium aduocauit, Litaniis piè recitatis. Viros iam æternâ gloriâ donatos, qui vel Germaniam inhabitârunt olim, vel eamdẽ Euangelij luce Deo dedicârunt; eos etiam, qui quondam in terris Milites, hodie in cælo triumphant, veneratus est plurimùm; redactis in syllabum eorum nominibus, quo-

Sancti à Ferdinando culti.

quotidie illos in obſequij argumentum ac patrocinij ſpem compellauit. Ordinum Religioſorum ſanctos Inſtitutores omnes ardenti amore ac honore complexus eſt. Dies illorum cultui ab Eccleſia præſcriptos traduxit veneratione piiſſimâ; Templa, in quibus præcipuus eis honos exhibebatur, quotannis acceſſit; iuſſis eòdem ire cantoribus Aulicis, vt muſico concentu eorum in terris augeret gloriam, quibus ex animo in cælo coronas gratulabatur ac triumphos.

Præcipuè Fundatores Religionum.

Damnauit frequenter Hæreticorum furorem, qui vel in Sanctorum imagines, vel in ſacra ipſorum Lipſana debacchantur ac ſæuiunt. Vtraque ipſe ſemper theſauri loco duxit, & quo maximo potuit honore affecit. Non publicè modò & oſſa & cineres Sanctorum coluit, ſed etiam priuatè, ipſiſ-

Honorat ſacras Reliquias.

ipsisque quas incoluit, in ædibus. Altare, quod ad meditandi precandique vsum in intimo cubiculo paratum habebat, sacris totum exornatum erat Lipsanis, quæ vel à Maioribus acceperat, vel studio ipse laudabili conquisiuerat. Manè cùm Deum oraturus ad altare illud accessit, ea Lipsana exosculatus, iisdem se in crucis formam signauit. Adhæc die è collo, nocte è lecticâ, cum cereo Agno solemni à Pontifice precatione dicato, suspensam habuit thecam Reliquiis refertam. Audierat Norberti viri sanctissimi, Præmonstratensium Patris, & Magdeburgensis olim Antistitis, corpus nullo esse in honore Magdeburgi in ciuitate Hæreticâ; egit illicò, & effecit, Pragam vt deferretur: quâ die magnificâ pompâ, piâque supplicatione, è Cathedrali ecclesiâ in templum Præmonstratensium illatum

Transfert S. Norbertum.

latum eſt, non modò ipſe pedes, Aulâ totâ præeunte, comitatus eſt, ſed etiam aliàs honoris, obſequij, & pietatis ergô, eò ſe contulit.

Sancti Patroni Ferdinandi.

Cælites omnes vt piè coluerit, quoſdam tamen veneratus eſt impenſiùs, vt quos Patronos adoptârat: ij fuêre Ioannes Baptiſta, Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus, Antonius Patauinus, Auguſtinus, Frãciſcus, Ignatius Confeſſor, Thereſia. Auguſtæ & aliis ſæpiùs aſſeruit, Sancto Ignatio ſua ſe omnia peculiari curâ commiſiſſe: voluiſſe ab illo ſua vota dirigi: per illum Deo exhiberi. His omnibus ſolitus fuit ſingulis mẽſibus eum addere, quem ſorte eductum à Sodalibus Virginis Annuntiatæ Patronum accepit.

E quibus S. Ignatius inter primos.

Et Angelus Cuſtos.

Iam verò Angelo Cuſtodi cùm ſe plurimum debere fateretur, egit, vt per Pontificem liceret in ſubditis ſibi prouinciis octo integros dies

dies illi festos agi à Clero, & verò obtinuit. Ignatij ac Francisci Xauerij Confessorum patrocinium cùm frequentissimè expeteret, non apud vnum Pontificem egit, vt in Sanctorum Album referrentur: à Gregorio X V. relatis primus sacram erexit Viennæ ædem, in quâ colerentur. *SS. Ignatio & Xauerio templum extruit.*

Reuerentia in Sacerdotes.

CAPVT IX.

MOrtalium neminem in terris æquè reueritus est atque Sacerdotes, in quibus omnibus diuinum Numen venerabatur & honorabat. Sacris initiatum hominem vt beneuolè complecteretur, non alius quærendus fuit titulus, quàm sacrorum. Et si eos coluit officiosiùs, quos congruam sanctitati Ordinis vitam ducere no- *Prudens dictum.*

norat: tamen & reliquos honore dignabatur, ſolitus dicere, multa Ordini deberi, quæ homini non debentur. Si Sacerdotem (ipſos etiam ſuos Sacellanos,) vocaret, honoris ergô, Dominum aut Patrem appellabat. Quemcumque obuium habuit, poſito pileo etiã Imperator ſalutabat. Auſtriacorum Principum in Germaniâ mos eſt, amoris ac beneuolentiæ pignus, manum adeuntibus dare exoſculandam. Ferdinandus, vt libentiſſimè dexteram Sacerdotibus dedit omnibus, ita nulli oſculum permiſit: illud beneuolentiæ, hoc reuerentiæ deberi profeſſus. Auditus eſt non ſine admiratione dicere, occurrentibus ſibi eodem loco ac tempore Angelo & Sacerdote, ſe primùm Sacerdoti, deinde Angelo honoris officium perſoluturum.

Imperator Sacerdoti cuicumque pileum deponit.

Nulli eorum manum oſculandam permittit.

Dictum memorabile.

Vt ipſis, qui Deo ad aras ſeruiunt,

niunt, noluit Deus parem omnibus esse dignitatem ac potestatem, ita Ferdinandus suum cuique honorem studuit exhibere. Apostolicam Romanam sedem, Catholicæque Ecclesiæ in terris caput, Romanum Pontificem, non modò in honore summo semper habuit, sed etiam humillimâ demissione veneratus est. Vicariam illi auctoritatem à Christo tributam, Ecclesiasticasque eius sanctiones, arbitrabatur veritatis cortinam esse ac cæli oracula. Tridentini Concilij statuta de Matrimonio, vt primùm pseudopastores expulit è Prouinciis & Bohemiæ Regno, in iisdem recipi voluit & obseruari. Alibi retuli, ob vnam Romani Pontificis reuerentiam, summi momenti controuersias vnius ipsius Pontificis arbitrio componendas reliquisse. Nullam diem permisit elabi, quâ pro Cle-

Eius in summum Pontificem obseruantia.

Cuius arbitrio graues controuersias reliquit.

ro vniuerſo, pro Epiſcopis, inprimis verò pro Pontifice Maximo, ad Deum preces certas & ſtatas non fuderit.

Et pro eo quotidie orat.

Quos ipſe reuerebatur, ægerrimè tulit ab vllo vel deſpici, vel lædi. Bello cum Venetis excitato, quidam Eccleſiaſticâ dignitate, & & apud Cæſarẽ auctoritate tunc clarus, in Archiducem Ferdinandum minùs modeſtè dicebatur locutus, vſurpato Germanico prouerbio, ſi benè ſibi intriuit, benè comedet. Hæc Ferdinando cùm renuntiarentur, ex adſtantibus aliquis ſubiunxit, hoc videri ſibi dictum petulanter & ab homine parum ſano ac probo. Subintulit Ferdinandus: *Ne ſic loquaris: Epiſcopus eſt.* Memini alio loco me ſcribere, non antè voluiſſe aſſentiri, vt Cardinalis Cleſelius Viennâ abduceretur, quàm vidit aliam nullam ſupereſſe viam, quâ ab imminen-

Epiſcopi auctoritatem protegit.

minente nece poſſet eripi. Hac eius in Sacerdotes, præcipuè Purpuratos, reuerentiâ factum eſt, vt Pontifici eumdem Cleſelium ſibi tradi poſtulanti, facilè aſſenſus ſit; & demùm opportuno tempore eum Româ Viennam, ad ſuam ſedem etiam reuocârit.

Sacerdotem, qui à ſacris illi Confeſſionibus fuit, quocumque iret, ſecum voluit proficiſci; ac dicebat æquè ſibi gratam Confeſſarij præſentiam, ac Angeli tutelaris. Venientem, vt confeſſionem exciperet, aperto capite ad conclauis ianuam obuerſus præſtolabatur; ingredienti primus, & quidem reuerenter, felicem diem precabatur, quod & in ipſo mortis articulo conſtanter egit. Quod mirêre, ipſe ſuis manibus ſedem eò tulit & collocauit, vbi à ſedente erat audiendus. Volenti id operis aliquando præoccupare Con-

Confeſſarij æſtimatio, & erga eum reuerentia.

 feſſa-

fessario dixit: *Omittat, mei id muneris est.* Sanè & aliàs sæcularia ac aulica obsequia non facilè patiebatur sibi à Sacerdotibus impēdi.

Pietas erga Parentes, & suos.

CAPVT X.

Parentis consultandi modum non mutat.

ADmirandâ in Parentes fuit Pietate ac reuerentiâ. Adduci numquam potuit, vt acceptum à Patre de grauioribus rebus deliberandi modum immutaret. Suggerentibus alium, *Debeo hoc,* aiebat, *Parentis optimi ac sapientissimi honori.* Quæ ille moriens testamento mandârat, non modò exe-

Eius testamentum religiosè seruat, & successori commēdat.

cutus est fide summâ, sed eadem à suo Hærede seruari cupiuit. Leguntur super eâ re in Codicillo hæc verba: *Quia dilectus noster Dominus ac Pater Carolus fel. mem. Archidux,*

chidux, suo testamento, paternæq; vltimæ voluntati multa, eaq; saluberrima, inseruit documenta, quibus nos superstites eius filij ac hæredes in Religione tuendâ ac erigendâ regi debeamus: quod etiam alij charissimi Maiores nostri, maximè verò Ferdinandus I. Imperator Auus noster, immortali suâ laude fecerunt: volumus nos hîc ea omnia & singula repetita censeri, & haberi expressa; & codicillo hoc filiis nostris, hæredibus, ac successoribus mandamus, vt integrâ fide ea complectantur, & exequantur.

In Matrem tenerrimo ferebatur amore, neque vllam neglexit aliquando occasionem eius vel dignitatis, vel auctoritatis augendæ. Nunquam ab eâ fuit compellatus, nunquam eam ipse compellauit, quin flexo poplite fuerit eam reueritus, & Clementissimam Dominam Matrem honoris ergô compellauerit. Rerum iam Do- *Obsequia Ferdinandi in Matrem.*

minus, Prouinciarum rector, ac matrimonio iunctus, Matri æquè fuit ad obsequia, ac antè fuerat minorennis, & sub tutelâ. Dato brachio ascensuram attollebat in rhedam, descensuram excipiebat ac deponebat. Si comitatus illam aliquò, cum illâ rediret ad palatium; ipse equo celerrimè desiliens, præstò erat, vt currum aperiret, ituramque per gradus suo innitentem brachio sustentaret ac deduceret. Illius nutus Ferdinando erant imperia, quibus non illicò acquiescere, summum nefas esse putaret. Cùm vtriusque parentis, fratrum ac sororum Corda apud Societ. IESV Patres aureis argenteisve inclusa vasis Grætij condita sint: ibidemque condi & ipse voluerit: cor tamen penes Matris corpus in S. Claræ poni iussit, vltimum in Matrem amoris nunquã intermortui argumentũ.

Coniu-

Coniuges, vt ſuis locis dictum eſt, duas habuit. Vtramque amauit tenerrimè: vbique de illis perhonorificè locutus, modos omnes viſus eſt indagare, quibus æquæ earum voluntati gratificaretur. Quotidie priori Coniugi defunctæ, dum ipſe vixit, ſuffragia à Sacerdote ad aras operante curauit, & ei Sacrificio piè ipſe interfuit. *Defunctæ coniugis memoria.* Eleonoram, quam ſuperſtitem reliquit, triplici exornauit coronâ, Bohemicâ, Vngaricâ, Cæſareâ. *Coniugem amat & æſtimat.* Quotieſcumque hæc grauiore morbo aliquo tentata eſt, ipſe de eius ſalute ſollicitus, ad incolumitatem à Deo illi impetrandam, Religioſis omnibus Familiis preces indixit: diſtributa in eum etiam finem, non exiguâ pecuniæ vi in Sacerdotes ac pauperes, vt & ipſi ſupplices ad Deum accederent. Cùm Ratisbonæ 1636. graue illud Ferdinandus vitæ diſcri-

men ſubiit ex morbo, de quo alibi ſermo fuit; multumque ad eius incolumitatem Eleonora Imperatrix contuliſſet: beneuolè prædicauit & tunc, & non ſemel aliàs, vitam ſe Coniugi debere. Iucundiſſimum illi accidit videre à ſuis filiis Eleonoram coli vt matrem; viciſſim ab hac illos diligi vt filios.

Eius de liberis benè educandis cura.

Summa, & fortè cui par non inueniatur, eius cura fuit, optima liberorum educatio. Præceptores domeſticos, Præfectos aulæ, miniſtros cubiculi, non niſi ſpectatæ virtutis, ac famæ integerrimæ viros, beneque in Familias religioſas affectos (credi vix poteſt, quãtum in hac vnâ re poſuerit momenti,) Filiis attribuit. In ſtudiis grauioribus Magiſtros, vt & Confeſſarios, è Societate IESV delegit. De profectu in pietate ac litteris ſollicitus, ſæpè de vtroque ſolitus fuit ſciſcitari. Diſputantem Ferdinan-

nandum Erneſtum, hodie Imperatorem, aliaque litterarum exercitia obeunté, aliquando ipſemet, adductis ex intimo Conſilio viris primariis, voluit audire; & verò audiit maximâ voluptate. Decimum octauum annum ingreſſos filios iuſſit ſecretioribus conſiliis intereſſe: primò quidem audire, deinde ſententiam quoque dicere, & eâ ratione ad gubernandos populos erudiri. Circa filias eadem ſolicitudo, eadē pietas. Matronas ſelectiſſimas, virgines integerrimas, gynæceum omnino candidum penes illas voluit eſſe. Adhæc omnia, ſuo illos exemplo maximè ad virtutem informare conatus eſt. Audiui qui diceret, Cæſaris filios ac filias non tam virtutem didiciſſe, quàm ex parentis aſpectu hauſiſſe. Hinc illud; nunquam nec correctione, nec aſperiore verbo opus fuiſſe, vt *Illius curæ fructus.*

benè agerent; hinc demissa illa liberorum in parentem reuerentia; illum ab his, vt Deum in terris, coli; vicissim ab hoc illos diligi, ac etiam honorari. Filium natu maiorem, Regio iam diademate ornatum, planè habuit vt fratrem. Ditionum, quarum semel voluit penes illum esse dominium & regimen, id liberum illi semper integrumque reliquit, nec rigidus censor, nec inspector importunus.

Ferdinandi in suos amor.

Iam fratres ac sorores quod attinet, eos beneuolentiâ suauissimâ complexus est. Nihil omisit, quo illis aut prodesse, aut gratificari potuit. Cùm necesse fuit seiungi, ac diuersis in Prouinciis degere, ita cum fratribus pactus est, vt in mutui amoris solatium & incrementum quotannis, si fieri posset; sin minùs, saltem quolibet biennio semel conuenirent.

Humilitas, & sui ipsius Contemptus.

CAPVT XI.

QVò difficiliùs est in Coronâ ac Sceptro non superbire, eò diligentiorem dedit operam, vt Christianâ Humilitate, ac sui ipsius Contemptu animum Orbi imperantem contineret, ne eleuaretur. Summus illi humanæ gloriæ despectus, eam non quærere, non admittere; de se, nec loqui magnificè, nec loquentes pronis auribus audire. Genus illud hominum, qui lucrum habent plausu Principes extollere, & adulari, auersatus est semper. Historicos, qui de se scriberent, vel scripturi essent, vt non damnauit, ita nec ambiuit, solitus dicere: *Sollicitum se, ne quid ipse malè agat, non quid Historicus loquatur aut* *Honores despicit.*

scribat. Quanti se faceret, tertio ante obitum die pronuntiauit; suadenti enim cuidam valetudinem vt curaret diligenter: *Me verò,* inquit, *Imperium hodie non indiget: prouisum est illi de successore, & quidem optimo.*

Quando sublimi in solio sedente Ferdinando, positis humi genibus summi Principes ac Magnates immitti in feuda & ditiones supplices petebant (quod sæpenumero accidisse norunt, qui Ferdinandum Imperatorem fuisse meminerunt:) mirantibus, qui aderant, & Ferdinandi potestatem dignitatemque extollentibus, vt cui supplices essent, quos Orbis adorat: ipse eâ gloriæ in scenâ positus apud se tacitus hæc sacræ Scripturæ verba vsurpabat: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me:*

Quò aliis gloriosior, eò sibi ipsi vilior.

vermis

vermis ſum, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Quod & alia quędam arcana animi ſui cùm occaſione Coronationis coniugis ac Filij anno 1627. Confeſſario Pragæ aperuiſſet, illum tamen monuit, rem vt omnino ſecretam haberet. Simili ſui ipſius contemptu & ſenſu inſtruebat ſe, vel cùm ſolemni pompâ excipiebatur ab vrbibus, vel cùm Legatos Regum magnificè miſſos ipſe excipiebat.

Legerat aliquando ſolito attentiùs Sacram Regum hiſtoriam. ſub hæc venienti ad ſe Confeſſario hoc retulit, adiecitque videre ſe paucos è Regibus illis diuino præconio commẽdari: pleroſque deprauatis fuiſſe moribus, & corruptiſſimos. Hæc cùm confirmaſſet Cõfeſſarius, addidit, ex iis ipſis, qui laudantur, aliquos poſt præclarè geſta elatos ſuperbiâ corruiſſe, grauiſſimum inſtare pericu-

lum piis Regibus à ſuperbiâ; illis timendũ eſſe naufragium in portu magis, quàm in mari; ſaluâ naue, quàm fractâ: meritò experientiâ edoctũ inclamaſſe Dauidem: Non veniat mihi pes ſuperbiæ. Ad hæc Imperator: *Spero fore, vt me hoc diſcrimine eximat Deus. Vbi primùm proſperè aliquid eueniſſe nuntiatur, flecto genua: Deo gratias ago: eius id opus eſſe profiteor, non meum.*

Egregium contra ruinam fulcimentum.

Reparatæ ſalutis anno 1598. in ipſo Michaëlis Archangeli peruigilio, adfuit Ferdinando tunc Archiduci, qui teſtaretur executioni eſſe mandatum, quod tanto molimine conatus fuerat: exceſſiſſe Græcio Acatholicos Doctores, peſte illâ ciuitatem liberam eſſe. Facinus immortali memoriâ digniſſimum, & quod potuiſſe fieri fatemur, quia Ferdinandi conſtantiâ ſcimus effectum, videbatur animum vel gloriæ inimiciſſimum

mum posse ad sui laudem erigere; at Ferdinandus illo audito exclamauit: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam:* nullaque interposita mora in conclaue se recepit, positisque genibus, quo maximo potuit demissi animi sensu, Deo gratias egit.

Anno 1634. Septembris die 10. litteris à Ferdinando filio Rege acceptis, cognouit de Victoriâ ad Nordlingam; cæsos hostes ad internecionem; vix paucos fugâ sibi consuluisse; capta tormenta, vexilla, impedimenta omnia; videri eâ victoriâ posita fundamenta, non solùm gloriæ, sed etiam securitatis. Prælegit has litteras Cæsar è familiaribus vni: dum legeret, solutis veluti riuis vbertim fleuit: inter lacrymas hæc tandem post litteras locutus est: *Magna Deus in nos contulit: at ego pergam in simplicitate meâ; ero in oculis meis post* *isthæc*

Hoc solùm modo crescere potest, qui summus est.

iſthæc humilis magis quàm antè. Nihil verò habuit antiquius, quàm ſolemnem indicere gratiarum Deo actionem.

Poſſem hic inſignia ſeipſum contemnentis, ac ad humilia deiicientis documenta referre, ſed præſtat alium in locum ea differre, eò ſcilicet, vbi, quæ in pauperes contulit, exponam. Vnum hîc apponam. Famulorum, vt leuiſſimè loquar, negligentia ſæpè dominos adigit, vt acerbiùs vel inuiti loquantur. Ferdinandus hoc habuit in more: ſi quando verbum exciderat, quod tamen rariſſimè fiebat, quo quem debuit corrigere, cenſeret fuiſſe perſtrictum; datâ ſiue præoccupatâ occaſione illum eâ verborum benignitate alloquebatur, vt videri poſſet quadam ratione deprecari. Id autem agebat animi demiſſione ſummâ quidem, quæ tamen

Non obeſt Maieſtati Humilitas Chriſtiana.

Cæſa-

Cæſarem non dedeceret. Eſt apud Chriſtianos Humilitas, quæ Maieſtatem nō dedecorat, ſed ornat.

Sinceritas & animi Candor.

CAPVT XII.

HAnc verò virtutem nemo in Ferdinando non prædicauit. Nullus in illo dolus, nulla fraus; in ore quod in corde, in corde quod in ore; ſenſa verbis, verba ſenſis reſpondebāt; fingere, fallere, ab ipſius ſinceritate alieniſſimum; colores adhibere, vt ſpectantibus imponeret, exoſum; vno candore, eoquè natiuo, omnium oculis & animis lucem & ſerenitatem veluti affundebat; frons, oculi, vultus, inceſſus, tota corporis habitudo hanc animi ſinceritatem præſeferebant.

Artem

Fraus Regnorum exitium,

Artem illam regnandi, quam multorum error in fuco & fallaciâ ponit, Regnorum exitium vocabat; detegi tandem fraudes, hoc eſt, ſubtrahi fulcra, & Regna corruere. Sæpè non ſine ſtomacho miratus eſt & queſtus, Principes reperiri, qui dolo velint niti, aliudq́ue verbis præferre quàm animo. Hoc verò nec Chriſtianum eſſe, nec nobile; multò minùs aut Regium, aut Cæſareum.

Ambitiosos præcipitat.

Ex Aulicis quiſpiam non genere illuſtrior, quàm Ferdinandi in ipſum amore, commendatitias ab illo popoſcerat, & verò gratiosè impetrarat. Reſciit hoc ex Aulicis alius, primario munere apud Ferdinandum, & eiuſdem fauore etiam nobilis, arbitratuſq́ue eas litteras rebus ſuis obfuturas, clàm Aulæ Cancellarium adiit: quaſi ab Archiduce miſſus, ſignificat commendatitias poſſe quidem expediri

diri ac tradi; at voluntatem Principis esse, vt suis illas litteris Cancellarius comitetur, viroque Principi, cui Aulicus commendaretur significet, Archiducem commendatitias negare haud potuisse, ne, qui petierat, tristis abiret; ceterùm gratissimum sibi fore, si nullum faceret commendationi locum; non videri, quod Aulicus petebat, è re aut postulantis esse, aut postulati. Miratus est hominis verba Cancellarius: cumque candorem Principis nosset, veritus est fraudem in Aulico. Ad Archiducem se contulit; quæ acceperat mandata, exposuit. Vix æquè quisquam vidit Ferdinandum commotum, ac eo tempore Cancellarius: *Ergóne*, inquit, *homo iste fucatum me, fallacem, fictumq́ ausus est fingere! malo quouis in genere malè audire, quàm in hoc: has artes meus candor non*

non habet, nec habebit vmquam. Tu exequere, quæ dixi: ille munere ac Aulâ sine morâ excedat. Nec in me, nec in meâ Aulâ dolum patiar, aut fraudem.

Candor non offendit.

Si eos, quos familiariùs nouerat, sciret aberrare; mirâ animi sinceritate atque candore monebat: nihil dissimulabat eorum, quæ in illis non probaret. Aiebat hoc esse suis prodesse, candidè agere. Morem hunc etiam cum summis viris Principibusque tenuit constanter, nec tamen vllum vmquam sibi reddidit admonitione offensum. Nimirum quam monentis sinceritas condit, nulli est amara correctio.

Contemptus honorum & Opum.

CAPVT XIII.

VIsus est cum Ferdinandi animo Deus certasse. ille honores

res contemnere, negligere: hic conferre, aggerare. Vt plurimos in illum Deus contulerit, ille tamen in contemptu perstitit, nec æstimauit, quos non ambiuit. Anno à Virginis partu 1627. coronâ redimitus, & chlamyde ornatus Cæsareâ, spectauit Pragæ è solio pompam, quâ, ipso iubente, Bohemiæ Corona delata est Eleonoræ coniugi, ac Ferdinando Filio. Rem visus est attentiùs contemplari & expendere. Ad conclaue cùm è templo se tulisset, cuidam familiari de totâ eâ pompâ hanc dixit sententiam: *Gloriam omnem Regiam ac Cæsaream omnino videri sibi comœdiam: interfuisse, cùm Academici iuuenes agerent in scenâ: interfuisse iam Coniugis ac Filij inaugurationi: vnum inter scenicos Reges ac istos se reperire discrimen, nec plura: illos horas aliquot, hos aliquot annos regnare: gloriam re non multùm differre,*

Regum gloria comœdia est.

ferre, differre aliquid temporis diuturnitate.

Cùm videret nouos quotidie hostes insurgere, nouas suis coronis insidias quotidie strui, nouas machinas, vt è solio ipse deiiceretur, fieri: *Tantíne*, inquit, *est diadema? ego verò, si quem Deus meliorem Imperio decreuit præficere, paratus sum sponte Sceptrum manu, diadema capite deponere.*

Meritò regnat qui ita sentit.

Postquam inauguratus Cæsar Grætium Francofurto aduenisset, dignam se protulit sententiam: *Se Francofurti Imperij coronam suscepisse, non vt suam, sed vt Dei gloriam augeret, & commodo publico prodesset; quinimò se in sui electionem consensurum non fuisse, nisi hunc finem præfixum habuisset.*

Recta Ferdinandi intentio in Imperio capessendo.

Honores, quos populi Regibus exhibere solent, cùm eos penè triumphantes in vrbes ac prouincias inducunt, vno hoc titulo pro-

Honores parcè admittit.

probabat, ſibique exhiberi patiebatur, quòd eâ pompâ in populorum animis erga Reges excitetur veneratio, quæ facit, vt Magiſtratui libenter ſubſint. Ceterùm id quoque honoris genus ipſe infra ſe habuit, ac aliqnando recuſauit. Moderationis huius vltimum argumentum reliquit paulò antè quàm moreretur. Reuertentem ex Comitiis Ratisbonâ ciuitas Vienna, totaque Auſtria, ſolemniori apparatu excipere decreuerat, & in promptu erant omnia; cùm ille conſuetâ modeſtiâ iuſſit, vt ne Proceres venirent in occurſum, quod facere & quidē ſplendidè conſtituerant, ſed eius aduentum in palatio, in quo ſalutaturus illos erat, prętolarentur. Ne tamen aut illi, aut ciues officia ſua deſpici putarent: *Seruent ea*, inquit, *præſtentq́; Romanorum Regi breui adfuturo.* Retuli ſuo loco Chriſtia-

næ

næ moderationis exemplum, quo anno 1595. effundi ſibi obuiam Prouinciam, aliaque id honoris ſigna edi noluit, cùm adoleſcens annum agens decimumſeptimum Ingolſtadio Grætium reuerteretur, Prouinciarum gubernacula ſuſcepturus.

Eius fiſcus minimè attractiuus.

Iam verò opes aurumque ac quidquid mortales plerique ſuſpiciunt, & labore ſummo quærunt, non modò contempſit ſemper, ſed planè irriſit. Ex ingenti auri argentique ſummâ, quę rebellium Procerum crimine ac pœnâ ad Fiſcum Regium deuolutâ eſt, Cæſar nihil ſibi retinuit. Dixit non ſemel, eodem apud ſe loco eſſe aurum ac lutum. Niſi benè de Principe ac Republicâ meritis in laborum præmium auro argentoque ſatisfaciendum foret: ſe verò de metallis nec cogitaturum aliquando. Verùm cùm de penè pro-

fusâ

fusâ Ferdinandi beneficentiâ dicam, tunc aperiam quo loco opes habuerit, & diuitias.

Mortificatio, & Pœnitētiæ.

CAPVT XIV.

CVm in Ferdinandum hoſtes multi conſpirârint; à nullo ſibi æquè timuit, ac à ſeipſo. Siue hanc veræ gloriæ magis plenam, ſiue magis neceſſariam cenſuerit victoriam; in nullam æquè ac in hanc intentus fuit. Acerrimè in carnem ac animam ſuam pugnauit; multaque ceteris hoſtibus condonanda cùm arbitraretur, ſibi pauciſſima condonauit. Animo corporique aſſiduis laboribus, curis, moleſtiiſque exagitato domi rarò recreationem conceſſit; colloquia cum coniuge & Liberis à prandio ac cœnâ, quando

Aliis lenis, ſibi ſeuerus.

eius

eius opera bono publico necessaria videbatur, omnino breuia; oblectamenta cetera ferè nulla, nisi quæ vel in hospites beneuolentia, vel Aulæ consuetudo imperaret.

Cur venationi indulgere solitus.

Semel, ac iterum quauis hebdomadâ secessit, venationi vel aucupio daturus operam, tum ex Medicorum præscripto, vt valetudini consuleret, ac ad labores rediret vegetior; tum ex ratione, quòd hanc voluptatem inter omnes maximè iudicaret innoxiam; tum verò etiam vt sese cæli aërisque iniuriis ferendis assuefaceret.

Sensuum moderatio.

Mira in sensus omnes, ac perpetua animaduersio. Quod Iob olim prædicabat, planè fœdus pepigerat cum oculis, vt ne cogitaret quidem de Virgine.

Visus.

Fuêre, qui notarunt illum in mulieris formam, nunquam defixisse obtutum, & singulari studio oculos in officio continuisse. Consuetum nostro

noſtro tempore, cõclauia ac ædes magnatum odoribus ſuaueolentibus afficere ad voluptatem: delicias huiuſmodi non admiſit vmquam Ferdinandus. Quod miniſtris cubiculi, & iis, qui iter facienti hoſpitia parabant, adeò notum & certum erat, vt ſi quid tale in tanti hoſpitis honorem à domino domus procuratum fuiſſet, ad illud difflandum diſſipandumq́ue portas ac feneſtras omnes aperirent. Grauem naribus odorem ac fœtorem non modò, cùm poſſet, non declinauit operoſiùs, ſed cuidam ſuper ingrato odore quid excuſanti: *Non eſt hoc*, inquit, *neceſſe: odorum deliciis non tangor: fœtorem non magnopere auerſor.* Dum accumberet, cibo potuq́ue planè vulgari contentus, non querebatur vel datum quod nollet, vel ſecus conditum ac vellet. Muſicum concentum inter epulas non excluſit, *Odoratus.* *Guſtus.* *Auditus.*

imò procurauit sanus & æger: non solùm quòd suapte natura eò ferebatur, sed etiam, & multò magis, quòd ex eo vires animi sentiret instaurari, & satiùs putaret audire quàm loqui. Ceterùm attentiores aures canentibus dabat, cùm sacrum aliquid concinebatur, quàm cùm profanum.

Somnus ad mensuram. Somno non ampliùs dedit, quàm natura & necessitas exigeret. Certè horas non plures quàm septem quieti tribuebat. Vltimis annis pituitâ ac grauioribus humoribus grauatus, frequenter vel dormitabat, vel dormituriebat, sed ita cum somno luctabatur, vt plus à pugnâ cruciatus, quàm à somno cõmodi referret. Accidit, vt minister cubiculi, cui vespere horam, quâ lumen inferret, & eum excitaret, præscripserat, mediam horam adiiceret, ratus Imperatori longiorem somnum esse necessarium.

ſarium. Improbauit factum, & vetuit, ne aut ille, aut alius poſthac ſimile quid auderet: *Non eſſe ſomno dandum, quod negotiis debetur: hac indulgentiâ moueri ſibi loco omnia, quæ agenda illo die diſpoſuerat.*

Corporis caſtigatio.

Corpus ieiuniis, flagellis, ciliciis caſtigare arbitrabatur neceſſarium, etiam iis, quos veſtit purpura. Extat in hanc diem flagellum multo conſperſum ſanguine, quo fluebat, cùm ſe cæderet. Maioris hebdomadæ feriâ ſextâ ſupplicationem cùm ſpectaret, plurimoſque in ſeipſos flagellis ſæuientes intueretur: Eleonoræ Augustæ, quæ aderat, affirmauit inuidere ſe illis, quibus eâ libertate ſeſe cædendi vti liceret, ſe aliquoties optaſſe illis miſceri, & verò etiam indagaſſe, quâ viâ in id ceteris ignotus deueniret; plus optaſſe, quàm potuerit aſſequi.

Optat ſe flagellantibus iungere.

Alio loco memini me ſcribere,

ſolitum illum cœnæ plurimum detrahere, quãdo ſacram ſynaxin voluit frequentare: diebus, qui Virginis Matris feſta præcurrunt, non modò ſibi, ſed Aulæ toti abſtinentiam indixit. Cilicio indutus eſt frequenter, iis vel maximè annis, quibus aut cælebs vixit, aut viduus. Nunquam aſperiùs carnem afflixit, quàm ſanctioris hebdomadæ feriâ quartâ, quintâ, ſextâ: tunc ieiunio flagella, flagellis cilicium, cilicio vigilias adiunxit, longioreſque orationes & lectionem.

Caſtitas.

CAPVT XV.

POſt aſſertas Ferdinãdi pugnas in carnem, facilè eſt eius Caſtimoniam ac pudicitiam conteſtari. Illis pugnis hæc paratur, præmium-

miumque seipsum edomantis est, corporis mentisque integritas. Adolescens, eius ætatis decus longè pulcherrimum credidit esse Castitatem. Aulicũ nescio quem, viam ad impudica monstrantem, & vt perfrictæ frontis erat, opem spondentem, adhuc iuuenis, necdum matrimonio iunctus, iussit Aulâ excedere ac seruitio. Odisse se aiebat inter seruos, Veneris mancipia & Cupidinis. *Casta eius Adolescentia.*

Prouinciis præpositus & Regnis, cùm feminas audire ex munere teneretur, nullam vmquam solus audiuit, ne quidem Principem. Colloquio vel suam coniugem adesse voluit; vel petentibus aures dedit, cùm in publicum proditurus Aulam vniuersam comitem & testem habuit. Ante coniugium nullam cognouit; viduus sex annis, in ipso ætatis vigore, ab anno videlicet suæ ætatis *Viduitas.*

trigeſimo ſexto vſque ad quadrageſimum ſecundum, etſi neque ſtimuli neque occaſiones defuerint, eodem rigore vixit. Matrimonio iunctus ſic ſe habuit, vt pleniſſimam caſtimoniæ coniugalis fidem coniugi effecerit. Scio ab Auguſtâ dictum, eâ apud ſe integritatis in opinione fuiſſe Ferdinandum, vt vel cum puellâ deprehenſum in thoro, nefas crederet eum impudicitiæ damnare; obfirmatum validiùs eius fuiſſe animum in Caſtitate, quàm vt vicinâ eâ machinâ poſſet conuelli, aut moueri.

Cõiugium.

Honeſtatis amor.

Non linguâ magis quam auribus turpia excluſit; nullum ex eius ore verbum non purum, nullum fœdum; coram illo turpia effutire, aut quæ libidinem olerent, nemo planè vmquam auſus eſt. Si quando, vel vt conſuetudini daret aliquid, vel vt Aulam recrearet,

paſſus eſt ab hiſtrionibus in ſcenâ agi, præmoneri curauit ſeriò, modeſtiam ne obliuiſcerentur; ſcirent ſe agere coram Cæſare, qui in Comœdiâ primas pudori ac verecundiæ tribueret; minas addi, ſi quid auderet quiſpiam.

Vt homini fieret offenſus, imò implacabilis, ſatis erat noſſe vel adulteriis obnoxium illum eſſe, vel concubinis. Neminem excuſabat, vel Sanguinis nobilitas, vel rerum gerendarum peritia. Conſtat etiam è Proceribus aliquem noxium repertum maluiſſe ſponte ſolum vertere, quàm iram caſti Principis experiri. Extant graues in adulteria ac inceſtus, & quæ ſunt alia libidinis opera fœdiora, ab eo latæ leges, & pœnæ capitales. In Iudiciis ſolitus in commiſerationem erga reos declinare, damnatos adulterij eâ gratiâ non eſt dignatus. Poſſem vindicis ſe- *Odium Turpitudinis.*

ueritatem comprobare exemplis, ſed non libet damnatorum famæ inſultare.

Patientia.

CAPVT XVI.

QVanta hæc in Ferdinando fuerit, vno poſſum argumento ſat probare. Tot ab Acatholicis impetitus iniuriis, tot ac toties ab hoſtibus iniqua & indigna perpeſſus, nunquam aut verbo quempiam acerbiùs incuſauit, aut animo commotus grauiùs indoluit. Mirati ſunt familiares eſſe Ferdinando ſtomachum, qui ſilentio poſſet tam dura concoquere; non queri, non proteſtari, non expoſtulare. Non me fugit paulò altiùs fuiſſe eius animum tactum, cùm ab iis, à quibus minimè oportebat, obſtacula poni vidit, quo minùs

nùs Germaniâ totâ Catholicam Religionem restitueret. Verùm de his etiam temperatè locutum scio, vt non impatientiâ in aduersarios, sed commiseratione in eos, quorum intererat, agi in querelas constaret. Arma ipsa non tractauit ex irâ in aliquem.

Aduersariorum vicem dolet, non suam.

Grauissimum offensæ genus, & toleratu præ ceteris difficile, verbis impeti ac traduci, ita tulit, vt nec sentire visus sit. Fuêre ex eius Aduersariis, qui impotentiâ animi indignis tantâ maiestate verborum iniuriis illum sanguinarium canem, cæcum nebulonem, homuncionem ac Ferdinandulum compellarunt; nouit hæc ipse de se dicta, nec tamen indignatus est. Anno 1599. Grætij publicis in Comitiis Acatholici Proceres ausi sunt amaris in præsentem verbis inuehi, quam ille vrgebat veræ fidei restitutionem, miseram

Calumniis non mouetur.

Maledicos fert.

ac deplorandam perſecutionem, conſcientiæ tormentum duriſſimum appellarunt. Nonnemo (ille ipſe, cui nomine ceterorum ex officio loqui incumbebat,) adeò aculeatè, temerè, acerbè, atque impudenter in Archiducem debacchatus eſt, vt illos ipſos, qui eum ad liberè loquendum hortati fuerant, puduerit audaciæ. Ferdinandus & obloquentem patienter audiuit, & quâ pollebat poteſtate, cùm poſſet vlciſci, maluit patientiæ quàm potētiæ præbere documentum. Sat habuit, quam propoſuerat fidei reſtitutionem, conſtanter vrgere; maledicta & ſcommata animo tulit æquiſſimo.

Tot iam annos pertinaciter commota, belliſque inuoluta Germania, plurimi in lucem emiſſi ſunt libelli tenebris digniſſimi, quibus Ferdinandi nomen ac geſta

ſta indigniſſimè ſunt traducta: homines obloquendi libidine perciti ficta pro factis; falſa pro veris orbi obtruſère. Videbantur non redarguendi modò, ſed grauiore animaduerſione monendi. Ipſe nec famoſis libellis commotus eſt, nec in auctores iuſſit inquiri, nec ipſa quidem aduerſariorum mendacia ſcripto optauit à quopiam confutari. Delatum eſt, hominem, qui ſe Catholicum dicebat, olim à Ferdinando & honoribus & opibus auctum, in vrbe Catholicâ editionem moliri libelli, qui plures in Cæſarem calumnias ac iniurias haberet. Æquiſſimum erat de ingrato homine pœnas exigere: ipſe nil actum vltra voluit, quàm editionem impediri. Viennæ aliquis multorum criminum reus Iudicum ſententiâ iuſſus erat multa pœnarum genera ſubire, ac ipſam poſteà

Exemplum clementiæ in maledicum.

mortem. Hic idem quia verbis mendacissimis criminatus Cæsarem fuerat; Iudices, vt abscissâ linguâ crimen lueret, pronuntiârunt. Venit ex more Iudicum sententia ad Cæsarem recognoscenda: is linguæ pœnam expunxit, & vetuit in sententiâ memorari, quæ reus effutiuerat maledicta.

Iucunda patientia.

Iuuat magnorum herôum minores etiam virtutum actus cognoscere. Quotusquisque est, qui famulo persæpè non irascatur, ac verbo saltem non exprobret negligentiam? Sæpè accidit, vt incusantibus ceteris quorumdam in Cæsaris seruitio aut tarditatem, aut incuriam, ipse non patienter modò tulerit, sed etiam excusarit. Vbi ceteri solent amarè indignari & irasci, ille visus est festiuè iocari. Venerat Pragam ex longo itinere: arcem ingressus posuerat ocreas: & parata erat cœna. repentè

pentè vident nec calceos adesse, nec crepidas, cùm nondum adessent, qui impedimentis præerant. Ceteris indignè famulorum negligentiam ferentibus, ipse nullo offensi animi signo dato: *Accumbamus*, inquit, *mensæ: quid calceis opus aut crepidis? tempestas frigida non est.*

Constantia in aduersis æquè ac prosperis.

CAPVT XVII.

NVbilum ac serenũ sunt Mundi inferioris vices, cælum nunquam mutatur. Planè, qui Ferdinandum norunt, asserent cælo simillimum eius fuisse animum; illum prospera & aduersa infra se despexisse; nunquam turbatum, nunquam mutatum. Quâ constantiâ tulerit aduersa, histo-

Aduersis non deiici-tur.

riâ totâ narratum est. Si cui enim Deus aduersam fortunam irridendam vmquam obiecit, certè obiecit Ferdinando. Quæ eius vitæ pars molestiarum expers fuit? quæ Regna sine aduersariis aut adiit, aut retinuit? quoties à fide Principis Prouinciæ & Regna excidêre? quoties arma aut malè administrata coniecere Cæsarem in angustias, aut hostium vi retusa locum fecere calamitati? Eò non semel deuentum est, vt actum proclamaretur. Hæc omnia constanter tulit, nunquam deiectus, semper in spem erectus meliorum.

Inter admiranda numerari etiam debet, quod sæpè in Ferdinando Consiliarij suspexêre. Eâdem tranquillitate animi, eâdem vultus orisque serenitate perstitisse post clades auditas, quâ antè fruebatur. Sæpè contigit, vt vno mense

menſe plurima euениſſe aduerſa cognoſceret; malè pugnatum, factam rebellionem, vrbes ab hoſtibus occupatas. Credidimus ſaltem vulnus vulneri additum effecturum, vt cõmoueretur. Eâdem conſtantiâ ſecundum ac tertium excepit vulnus, quâ primum. Anno 1616. quindecim dierum ſpatio mortuus eſt Maximilianus frater; Maria Anna coniunx, quam oculis chariorem habuit, exceſſit vitâ; Gradiſcanum Præſidium à Venetis obſidione cinctum eſt; P. Villerius, cui à Confeſſionibus ſe ſuumque cor commiſerat, Româ (quò in causâ Religioſi ſui Ordinis à ſuperioribus miſſus fuerat,) rediens captiuus abductus, & in carcerem Veronæ detruſus eſt. Ictum ictui incurrentem excepit intrepidus. Non modò ſe non deiecit, ſed alios deiectos potuit erigere, hortatus, vt forti animo pate-

paterentur, quæ Deus immitteret exercitia virtutis. Primas duas proles, quæ charissimæ solent parentibus esse, tantùm illi licuit videre illicò à Baptismate extinctas. Nullum excidit ei aut verbum amarius, aut flebilis eiulatus: *Sat habeo*, aiebat, *meorum filiorum ortu & occasu auctum in cælo esse numerum infantium, quorum ore Dei laus perficitur.*

Non extollitur prosperis. Iam alteram fortunam, quam difficiliùs humanus animus solet concoquere, æquè constanter tractauit ac primam. Nullius felicioris euentus causâ elatus est animo, nullâ prosperitate intumuit. Cæso ad Pragam in albo monte hoste; recuperatâ Regni Bohemiæ Coronâ, ipsoque Regno; Pseudo-rege Bohemiâ adiunctisque Prouinciis excluso; vultum haud mutauit. Sat habuit Deo publicâ supplicatione gratias agere;

cete-

ceterùm gaudio vehemẽtiori non est visus prosilire. Animi constantis hæc æquitas cùm Gabrieli Betlemio narraretur, ingens eius animo timor iniectus est. difficillimum fore contra hominem pugnare, quem nec aduersa deiiciunt, nec secunda extollunt. Gustauo Adolpho Sueciæ Rege in Lucensi pugnâ interfecto, exiliere gaudio, quicumque cum Cæsare sentiebant. plerique lætitiâ perfusi hostibus insultare: inclamare eâ cæde debellatum esse: nullum iam superesse timori locum. ipse immutatus vnum dixit: *In humilitate progrediamur: demissè rem Deo commendemus.*

Ob constantiam inimicis terrori est.

Eò modestior, quò felicior.

Creditum est eò collimasse bella tot annos pertinaciter producta, tam firmos hostium conatus, vt Cæsarum series tandem in Austriacâ Domo concluderetur; aliò transferendum aliquando sceptrum

ptrum & coronam; diutiùs quàm publicum bonum pateretur in eâ Familiâ perstitisse Imperium; Ferdinando II. non substituendum III. Ratisbonæ Electorum suffragiis firmatum etiam hac vice est in Austriacis Imperium; Sceptrū & Corona delata sunt Ferdinando III. Audiuimus ipsâ die, quâ hic Romanorum renuntiatus est Rex, non vulgi modò sed Procerum voces, hostibus insultātium concidisse machinas tot annorum labore instructas; exaruisse spem largâ non magis auri quàm sanguinis profusione irrigatam; irent, & Austriacæ potentiæ ac felicitati aduersarentur; esse eum Cæsarem, qui vt ne esset, penè effecêre inimici, vt Germania tota non esset, aut esset bellis, peste, fame exhausta. Vnus Cæsar in effusâ ceterorum lætitiâ visus est moderatè lætari, nullum in aduersa-

Semper sibi similis.

rios

rios verbum, nulla exprobratio. Egressus conclaui, in quo Filius suffragia ad Imperium tulerat, ante aram positis genibus cum Simeone cecinit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine: secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei Salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Actisque Deo gratiis vultu, in quo nemo quid insolentius videret, cetera prosecutus est, quæ ritus exigit diei illius.

Labores.

CAPVT XVIII.

Negotiosissimus Imperator.

OTium in nemine vmquam mortalium probauit, in se omnino nunquam est passus. Audiui Aulæ Cæsareæ Præfectum Leonardum Helfridum Comitem

tem de Meggau conteſtantem, ſe nunquam ad Cæſarem intraſſe, (intrabat autem ex munere frequentiſſimè) quin illum in opere deprehenderit, legentem, ſcribentem, audientem, orantem. Non ſine voluptate commemorabat, ſe à Deo inſigne beneficium accepiſſe, quòd labores amet, iiſque delectetur. Sæpè à prandio, aut à cœnâ, vix vltra quartam horæ partem ſibi indulſit, quam cum coniuge & Liberis ſuauiùs tranſigeret: illicò vt plurimùm ſeſe ad negotia publica & labores referebat.

Valens & ſanus conſultationibus adfuit, & præfuit ſemper. Cùm non rarò rerum, de quibus fuit agendum, aut multitudo, aut difficultas quatuor in deliberatione horas conſiliarios detinuerit, non modò non receſſit, ſed ceteris laborum grauitatem aut accuſan-

cuſantibus, aut moleſtiùs ferentibus, ipſe lætatus eſt occaſionem laboris vberrimam non defuiſſe. Solitum dicere accepimus, tribus rebus ſibi occupato tempus nunquam viſum longum, diuinis Officiis, conſiliis, venationibus.

Tria ei nunquam moleſta aut longa.

Libellos ſupplices ad ſe delatos (quos plurimos fuiſſe neceſſe non eſt dicere agenti de Cæſare) omnes ac ſingulos quotidie legit labore incredibili. Lectis ſuâ manu adſcripſit, quinã ad Cancellarium eſſent tranſmittendi. Vt conſtet, quâ curâ legeret; aliquando euenit, vt ſecretariis inter referendum nonnulla exciderent. Id notauit Cæſar, & quod illi omiſerant, felicitate memoriæ, quâ pollebat prorſus admirabili, ſuppleuit. Si diurna negotia tempus præripuiſſent, libellis cognoſcendis, diurno labori nocturnum addebat. Cuidam familiariori aliquan-

Labor propè incredibilis, ſed Salutaris.

quando post cœnam ingentes libellorum fasciculos ostendit, & adiecit: *Non priùs ibo cubitum, quàm hos legero & expendero.*

Vltimis annis viribus longè imminutus est, laboribus tamen æquè se tradidit ac iunior. Monitus non semel, temperaret sibi vel paululùm à laboribus; minoris momenti libellos traderet aliis legendos; valetudini suæ consuleret: magnificè respondit: *A Deo se positum in solio vt laboraret, non vt otiaretur, non posse Principem valetudini suæ parcere, qui publico consultum velit: malle se sibi deesse, quàm officio suo.*

Officium Principis.

Laboribus immoritur.

Pertinax hoc laboris studium ad mortem vsque illi fuit. Eo ipso vespere, qui matutinum obitum præcessit, libellos plurimos legit; plura constituit, suâque manu firmauit; nonnulla consiliariis expendenda transmisit; longas ad

Re-

Regem filium litteras suâ manu exarauit. Planè, quod Imperatorem decere aiebat ille, si nō stans, laborans occubuit.

Negotiosum otium. Venatum egressurus prouidit, ne publicis rebus obesset. Præcedenti die geminabat labores, subscribebat quibus erat subscribendum, efficiebatque vt die sequenti essent, quibus aut scribæ, aut ij, qui erant à secretis, occuparentur. Vespere reuersus, ab his acta perlustrabat, signabatque. Neque verò ipsam venationem curis publicis exemit. Semper vnum & alterum ex intimis Consiliariis secum habuit, vt, si quid noui deferretur, cum his deliberaret: noui nihil si accideret, captatâ opportunitate cum his tamen aliquid publici commodi indagabat, versabatque.

Faciles ad eum aditus. Assiduitas aures dandi, ac respondendi iis, qui opem eius implora-

plorabant, mirum quantum illi laborem attulit; exantlauit tamen libenter æquè ac fortiter. Petentibus aures facilè prompteque dedit; nullum reiecit, vel audiendi tædio victus, vel rerum expositarum inanitate turbatus. Cùm plures aliquando horas audisset, ad familiarem conuersus: *Libenter*, inquit, *omnes audio: libentiùs audirem, si quæ afferuntur, publico bono aut priuato ciuium prodessent: grauius est inutilia quàm multa audire.*

Recreationes.

CAPVT XIX.

ANimo recreando, corporique exercendo, suo tempore aliquid tribuebat. Adolescentior equestribus ludis, armorumque tractatione delectatus est, & sanè cum laude; plerumque enim ex certa-

Excellit in Hastiludiis.

certamine victor rediit, ac Iudicum sententiâ inter concertantes excelluit, palmâ dignus & Coronâ. Cantu ac musicis modis curas etiam lenire, & magno sumptu Musicos optimos conquirere, & aduocare solitus fuit, tum vt animo recreato publica faciliùs feliciusque pertractaret, tum verò & maximè vt Musicorum operâ & arte, Diuina in sacris ædibus magnificentissimè peragerentur: id si assequeretur, benè pecuniam positam arbitrabatur vel plurimam, nihil vmquam nimium honori impendi diuino.

Musicâ delectatur, præsertim sacrâ.

Scenæ ac theatro olim libenter interfuit. Verùm qui nec recreari animum sine pietatis augmento vmquam voluit, odit semper aut ludicras nimis, aut pudori pudicitiæque aduersas comœdias. Libenter vidit in scenâ Alexium, Cæciliam, Augustinum, Marty-

Actionibus & Actoribus scenicis fauet, sed grauibus.

rem pro Religione fortiter occumbentem. Actorem si quem piè & cum plausu egisse iudicauit, eum gratiâ, amore ac beneuolentiâ dignatus est complecti. Ex Academicâ iuuentute quosdam inter Alumnos in seminariis à se erectis iussit haberi, quia egerant pro dignitate: alios aliis muneribus aut ornauit, aut iuuit. Scio nonnullos absolutis studiis à Cæsare fuisse ceteris competitoribus prælatos, & Sacerdotio aut munere magis opimo donatos, quia meminit olim eos Sancti alicuius personam decenter & cum gratiâ sustinuisse.

Venationē iustis de causis amat.

Venationem & aucupium à primâ ad vltimam ætatem amauit. Iniecêre hunc illi amorem primò quidem Parentis exemplum, deinde Medicorum consilium. Plurimum Venationi Carolus pater dedit; Medici hoc maximè ipsius

ipſius neceſſarium valetudini ſemper cenſuêre. Acceſſerat, velle ſe bellicis laboribus parem facere, ſi quando ferre oporteret; his autem ſimillimos eſſe ex venatione natos ille ignorat, qui neſcit venatoriam eſſe tyrocinium artis militaris. Addidit quartam aliquando ipſe cauſam, nec fortè improbandam. Multos in Regum Cæſarumque Aulis degere, quibus otium locum facit ad improba. Hos debere Cæſarem venatione occupare, ne deſipiant. Ceterùm ne hoc quidem recreationis genus ſibi indulſit, ſine commodo aliorum. Prædam ex venatione non modò in legatos Principeſque viros, ſed etiam & maximè in religioſas Familias tribuit. Ipſis in ſyluis penè erecto tribunali ruſticos audiuit, eorum cauſas cognouit, verbo & re conſolatus eſt. Hoc ille tempore, à feris illata damna inueſtigauit;

Vult eam multis vtilem, omnibus innoxiam.

uit; iussum quemque sua damna æstimare, pretio refecit maiore, quàm ipse actor pronuntiarat. Non præteribo, si quando ab apro cõtigisset rusticum aliquem in venatione lædi, iussum illicò à Ferdinando in vrbem deferri: à Cæsareis chirurgis sanari: sanum demum, valentemque nouâ veste & pecuniâ auctum ad sua remitti.

Quod secus factum, aut ipsum latuit, aut corrigi mandauit.

Non ibo inficias, ex hoc eius venandi studio multas extitisse querelas, rusticos scilicet malè haberi ac tractari. Verùm multa Cæsarem latuêre; multa ab eo iussa corrigi, fortè ab iis, ad quos proximè spectabat, quibusq; Cæsar seuerè mandauerat, minùs diligenter sunt correcta & castigata.

Pruden-

Prudentia & gubernandi ratio.

CAPVT XX.

IN Regnorum Imperiíque administratione, curâque populorum, ſublimibus ac planè diuinis principiis nitebatur. Fucatam ac ſubdolam Politicam, quâ hodie aliqui vtuntur, primo loco eliminabat à Prudentiâ. Non poſſe eos prudenter agere, qui dolo agunt, quique Deo & Religione abutuntur; deſipientis eſſe, Regna, quæ ab vno Deo dantur, artibus velle firmare, quas Deus odit. Ergò veræ Prudentiæ, veræque Politicæ fundamentum, honoris diuini tuendi amplificandique ſtudium ponebat. Antè cauēdum, ne quid Numinis gloria detrimenti patiatur, tum cetera diſpo-

Prima imperandi lex Dei honos.

nenda. Ratisbonæ ipsis Ianuarij Calendis viro cuipiam Religioso familiariter dixit: *Placere sibi, Ferdinandum Filium esse in Romanorum Regem electum*: & rationem addidit, *non quia Filium videret in solio, sed quia in solio virum videret, cui regula regnandi imperandiq́ʒ esset futura diuini honoris cura, & Catholicæ Religionis propagandæ Zelus, subditorum & patriæ salus. hæc esse vera Politicæ artis laudanda principia.*

Gaudet Filium ex eâ imperaturum.

Consiliarios pietate maluit quàm dote aliâ præstare. Quæsiuit ille quidem viros, qui & ingenij acumine, & rerum experientiâ laudarentur; sed maximè optauit, qui Dei cultu metuque excellerent. Loquendi in sententiâ dicendâ libertatem amabat. Inuenio propriâ Cæsaris manu scriptum; *odisse se in consilio canes mutos: non probare, qui auctoritate cuiuspiam abripi se sinunt in sententiam, quam ceteroqui*

Quales cupierit Consiliarios.

roqui non probant: amare, qui candidè, sincerè, liberè, modestè tamen, enunciant, quod sentiunt. Factum est non semel, vt dicentis libertatem non modò commendarit, sed tuendam etiam susceperit. Cùm enim è maioribus aliquis ægrè visus est ferre libertatem, quâ minor oppositam in consultatione sententiam firmabat, tum Cæsar pro minore stetit, suâque tutelâ egit, vt & alij dicerent liberrimè.

In rebus grauioribus constituendis, & potissimùm cùm de vitâ alicuius ageretur, hanc tenuit deliberandi methodum. primò mentem animumque quauis perturbatione eximebat; tum Deum ipse studiosè consulebat, plurimósque & maximè Religiosos adhibebat deprecatores; exinde alienum consilium prolixè ac patienter exquirebat; & plerumque in eiusmodi rebus id constitue- *Methodus deliberandi de rebus grauioribus.*

bat, quod plures cenſuerant; ſolitus dicere: *Securiùs eſſe conſiliariis adhærere, etiamſi aliquando euentus fallat, quàm ſuo vnius iudicio regi.* Si ad Conſiliarios referre, quod agebatur, non licuit, Deum cæliteſque tunc ardentiùs conſuluit. Vetuerat Viennenſis Magiſtratus, ne ciuium vllus in Hernals excurreret, è ſcholâ Lutheri magiſtros auditurus. Proceres Acatholici ægrè hoc tulêre; priuilegia, quæ iactabant, apud Cæſarem produxêre; non ſine graui ſenſu ſua iura lædi conqueſti ſunt. Quo tempore ſuam illi cauſam perorabant, piiſſimus Cæſar continuò cor, ſed occultè, Crucis ſigno muniuit, taciruſque Numen obteſtatus eſt, ne reſponſuro verbum elabi pateretur, quod vel Fidei veræ præiudicaret, vel Acatholicos acerbiùs perſtringeret.

Pia induſtria.

Cùm quid ſolito grauius in delibe-

liberationem veniebat, puta quod nouorum bellorum pericula inuolueret: non ſat habuit vnum conſiliariorum Collegium audire, ſed plura voluit dicere quid ſentirēt. Id dum ageretur aliquando in cauſâ Mantuanâ, propriâ manu ad Collegiorum Senatorumque ſeu Concilij Pręſides ſcripſit: *Viderent ſeriò conſultores, quid ſuaderent, & de argumento grauiori id vnum ſtatuerent, de quo ſperarent poſſe ſe ad Dei tribunal interrogatos reſpondere intrepidos.* Sua verò hæc mandata toties voluit omnibus Conſultoribus prælegi, quoties ſuper eâ re deliberaturi conuenirent. Si negotium, de quo agebatur, Religionem ſpectabat, primò Theologos ex diuerſis ſcholis iubebat ſententiam dicere, imò & litteris conſignare, vt ipſe relegeret attentiùs: deinde Cardinales, Epiſcopos, alioſque, quos Catho-

Regulam Conciliorum voluit eſſe Dei tribunal.

Theologos conſulit.

Cardinales & Epiſcopos.

licæ Religioni maximè addictos nouerat, in consultationem vocabat: dicturos sententiam monebat: *Religionem haberent præ oculis: suaderent, quod Deo Iudici possent olim probare: se in eorum sententiam securè iturum; cùm doctos, pios, atque ex eo ordine selegisset, ad quem maximè Religionis tutela pertineret.* Hunc deliberandi modum tenuit, cùm de pace Saxonicâ actum est, de quâ alibi scripsi.

Deo responsuros.

Euênit aliquando, vt minimè expediret rem euulgari, quæ in deliberationem veniebat; tunc hac incessit viâ. Consiliarios non simul iussit adesse, sed seiunctos singulos, nec verbo, sed scripto, sententiam dare. Id autem eâ cautelâ egit, vt nemo posset subodorari, alium quempiam, præter se, fuisse consultum. Hac deliberandi methodo duo est assecutus, vt & plurium mentem intelligeret, &

Secretum ingeniosè procuratum.

nemo

nemo auderet rem euulgare; dum enim se solum ab Imperatore conscium factum arbitrabatur, quiuis credidit euulgatæ rei culpam in se vnum esse deriuandam.

Charitas in proximos & inimicos.

CAPVT XXI.

QVi cupit scire, quâ in proximos Charitate flagrauerit, seriò recognoscat labores ac pericula, quæ volens libensque subiit, vt populos sibi subditos ab Hæresi ad veram Religionem retraheret. Nemo non amantissimus subditorũ fecisset, & tulisset, quæ ipse fecit ac tulit. Sermo erat aliquando de ardore, quo Prouinciarum Reformationem vrgebat. *Errant*, inquit, *Acatholici, qui me sibi*

Salutem subditorũ Vitæ suæ anteposuit.

insensum putant, Hæresim inhibendo. Non odi illos, sed amo: nisi amarem, omni solutus curâ sinerem eos errare. Testis est mihi Deus, sic illos à me diligi, vt meo etiam capite illorum saluti consultum velim. Si scirem, meâ morte illos ab Hæresi posse reuocari, volens libensq́; hac horâ carnifici collum denudarem, & feriendum præberem.

Detractores odit.

Nunquam proximo detrahere auditus est: si quem detrahentem audiuit, ægerrimè tulit, effecitque, vt sentiret ingratum sibi esse verbum, quo alterius fama lædebatur. Non modò viuentibus honorem integrum optauit, sed etiam mortuis. Ne quidem illa coram se de mortuo traduci passus est, quæ ipsemet in viuo non probauerat. De eorum salute sollicitus, quos crimina ad extremum supplicium egerant, vbi eos pœnam dedisse cognouerat, interrogabat sollicitè an Deo reconciliati obiissent? In ani-

Vt supplicio extremo afficiendi piè obirent satagebat.

animas, quæ purgatorio igne torquentur, commiseratione tangebatur singulari. Quoties aliquem è notis audiuit viuis cessisse, quoties conflictum factum inaudiit, illicò pro illis, militibusque Catholicis suffragia per Sacra curauit; & ipsemet ardenter pro iis Deum orauit. Huc spectat, quòd grandem habuerit catalogum mortuorum, pro quibus quotidie Deum precabatur; Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum Catholicorum, qui eius tempore vixerunt; consiliariorũ item, qui ei seruiebant, & dum viuerent seruierant; item Confessariorum olim suorum; & quod magis mirêre, priuatorum Religiosorum; quos amauit, & à quibus se dilectum fuisse existimauit.

Vita functos iuuabat suffragiis.

Eximius eius in proximos amor, maximè in hostes & aduersarios exarsit. Rem admiratione dignis-

dignissimam. Quo tempore plurimi domi forisque in ipsum coniurauerant, ille me audiente asseruit, nullum esse in terris, cui malè vellet. Cùm tot se eius inimicos professi sint, ipse nunquam se alicuius inimicum professus est, nec fuit. Ex iis, qui in Ferdinandum arma tulerunt, fortè omnium acerrimus hostis fuit Gustauus Sueciæ Rex. De hoc post Lipsiensem pugnam, quâ Tillius à Gustauo cæsus est, cùm esset sermo, ac aliquis, quàm aptè aciem disposuit, narraret: subiecit Ferdinandus: *Insignis est Princeps, ac peritus Belli Dux: doleo illum malam causam propugnare.* Ita hostem Cæsar amauit, vt laudem non inuiderit illi, vbi eum credidit meruisse.

Hostes non odit.

Imò laudat.

Augebantur in dies mala, bellaque bellis innascebantur, quæ tamen cùm paucorum auctoritate sustentarẽtur, fuerunt qui sponderent

derent posse se ac velle rebellium capita, auctoresque malorum tollere. Vnum hoc vnus eorum petebat, vt, si re benè gestâ, contingeret ipsum aut capi, aut occidi, Cæsar vxoris ac liberorum curam aliquam susciperet. Responderi homini curauit: *Hoc neque Christianum esse, neque Cæsareum: acturum se publicè, & armis suam causam, quæ iusta est, defensurum: euentum & reliqua omnia se Deo commisisse, & semper commissurum.* *Virtute volebat vincere, non dolo.*

Narrabat aliquis, & Cæsare ipso, & aliis è Proceribus Aulicisque non paucis audientibus, in proximâ pugnâ à milite Cæsareo, Duci exercitus aduersantis plumbeâ glande brachium fuisse traiectum. Ex Aulicis vnus subintulit, errasse militem illum, & quidem grauiter; debuisse vicinum cor traiicere, non brachium. Ad hunc non sine stomacho Cæsar: *Obse-* *Mira bonitas.*

cro,

cro, inquit, *quâ conſcientiâ proximo tuo tam grande malum audes optare?* Non poterat amantiùs quid loqui de amico, quàm de inimico locutus eſt.

Hoſtes, & ipſos rebellionis auctores reſipiſcentes facilè in gratiam recipit.

Facit huc eximia facilitas, quâ ex hoſtibus tot in gratiam recepit, quot veniam poſtularunt; non modò è plebe, non modò ex Equitum ac Baronum Comitúmve ordine, ſed etiam è Principibus, ipſiſque rebellionis auctoribus, profeſſus publicè in neminem ſe odio ferri, optare vt omnes reſipiſcant. Principem Anhaltinum, in Frederici Palatini exercitu contra Cæſarem quondam legatum, non modò beneuolè, ſed etiam honorificè excepit reſipiſcentem. Iuſſit enim, mirantibus ne dixerim an indignantibus, qui aderant? menſæ eidem accumbere, cui ipſe cum liberis accumbebat. Frederico Palatino, qui Bohe-

miæ

miæ Regnum inuaſerat, qui Ferdinandi coronam ſuo, filiique capiti per ſummum ſcelus impoſuerat, veniam obtulit, & verò in magnam ditionum partẽ reſtituiſſet etiam, niſi nouo ſcelere ſe Guſtauo Adolpho Sueciæ Regi in expeditione, in quâ etiam occubuit, contra Cæſarem adiunxiſſet. Norunt omnes, & alibi retuli, eamdem veniam Carolo Frederici filio obtuliſſe, & verò fuiſſe daturum, ſi adoleſcens voluiſſet Cæſaris clementiam experiri.

Iam quos ſemel in gratiam poſt errorem recepit, ſic amauit, vt nunquam viſus ſit recordari hoſtes illos aliquando fuiſſe. Multis antiquos honores reſtituit, multos maioribus ac nouis auxit. Scio clementiam tantam fuiſſe illi vitio ab aliquibus datam. Hinc illa: præſtare Auſtriacos lædere, & veniam petere, quàm nunquam offen-

Immemor offenſæ beneficia rependit.

fendere; meliori loco apud illos esse aliquando malos, quàm semper bonos. Verùm propria Principum virtus est Clementia. Hâc maximè ad Deum accedunt, qui sæpè hominem altiùs eleuat resipiscentem ac pœnitentem, quàm eos, qui nunquam deliquerunt.

Humanitas & Benignitas in omnes.

CAPVT XXII.

HAnc verò etiam hostes soliti sunt in Ferdinando deprædicare. Scio ex hostiũ castris aliquẽ venisse Viennam, vt celebrẽ apud suos Cæsaris Humanitatem videret, & præsens experiretur. Nemo illum adiuit, qui ab illo digressus à Benignitate eum non commendarit. Referam alibi præclarum Colo-

Laus Principe digna.

Colonienſis Antiſtitis & Electoris de Cæſaris virtute teſtimonium. Hîc vnũ ex illo decerpam. Sapientiſſimus Princeps Ferdinandi Humanitatem cùm laudaret, eam eſſe aiebat, quæ mortalium corda raperet, timidos erigeret, perturbatos tranquillaret, ſolaretur afflictos, nullum à ſe triſtem pateretur abire.

Percrebuerat Cæſarem ſupplicationibus Styræ, Welſij, Laureaci, Lincij interfuturum. Vndequaque accurrêre ad vrbes ruſtici nuper tumultuati. Vidêre Cæſarem inceſſu, vultu, oculis Humanitatem & beneuolentiam veluti ſpirantem; eâ victi captique exclamârunt, ſe verò nunquã fuiſſe attentaturos, quod attentârant, ſi ſemel ante Cæſarem vidiſſent: illum ipſam eſſe Benignitatem. *Eum qui vidit, odiſſe non potuit.*

Non fuit neceſſe molles ad eum captare aditus: faciles aures dabat, *Faciles ad eum aditus.*

bat, & horâ, quâ potuit fieri, venientibus maximè opportunâ. Loquentes, plures persæpè horas audiuit non modò sine nauseâ aut tædio, sed sereno vultu ac planè ridẽte. Non raró negotiis expeditis, pro quibus fuerat cõpellatus, familiariore sermone solitus fuit homines alloqui: de rerũ suarum conditione, de filiis, de patriâ sciscitari. Dixisses parentem cum filio, aut fratrem agere cum fratre; tantâ Cæsar cum subdito agebat Humanitate. Sanus stans, gladio aut mensæ nonnihil innixus audiuit; quando per morbum stare non potuit, iussit persæpè etiam ei, quem audiebat, sedem dari, maximè Confessario, ac Sacerdotibus.

Vltro salutabat. Si quis è nobilibus, aut Ecclesiasticis, antè vel facie vel famâ notus, peregrè aduenisset, ac, vt solet contingere, Cæsari in Aulâ, alióve

in

in loco occurriſſet; ipſe illicò viſum porrectâ manu excipiebat, verbis benigniſſimis ſalutans. Solent Cæſarem in vrbes ingredientem Senatores ciuici ſub vmbellâ ad Sacram aut Regiam ædem deducere. Mirati ſunt his occaſionibus Ferdinãdi benignitatem permulti. Totâ aliquando viâ viſus eſt humanè cum Senatoribus vmbellam deferentibus conuerſari: qui vrbis ſtatus, quæ ciuium conditio, quæ rerum eſſet facies? Cùm è miniſtris potioribus aliquem, aut ex familiaribus, decumbere ex morbo cognouit: quotidie miſit, qui ſuo nomine ſalutaret, referretque quî valeret; imminueretúrne mali vis, an augeſceret? Adhæc ſui corporis Medicos ad eoſdem deſtinauit, iuſſos ægroti valetudinem procurare diligenter. Neque verò Humanitatis hæc officia in eos modò, qui in vrbe

Comis & affabilis.

Maximè humanus in decumbentes.

vrbe essent, exhibuit, sed in eos etiam, qui persæpè ab vrbe decumbebant remotissimi; testes Cardinalis Pazmani Strigoniensis Archiepiscopus, Nicolaus Esterhasi Comes Palatinus Vngariæ, & alij complures.

Humanitas eius Maiestatem non minuit.

Ceterùm eximia hæc Humanitas, morumque facilitas, non peperit contemptum Principis apud populos, sed planè cum amore existimationem auxit. Non enim deiiciebat ille maiestatem, cùm benignitatem induerat; temperabat hac illam, sed non opprimebat. Hinc factum aliquando, vt eosipsos, quos humanitate ad loquendum inuitabat, maiestate faceret elingues. Scimus Tartarorum Regis Legatum in conspectu Cæsaris positum obmutuisse: interrogatum deinde ab interprete, quî ita hæsisset suauissimo coram Principe? respondisse, fulgore

gore ſe fuiſſe victum, quo Cæſaris maieſtas emicabat.

Iuſtitia cum Clementiâ.

CAPVT XXIII.

ANſelmus Caſimirus Archiepiſcopus Moguntinus & Elector litteris 23. Maij ann. 1637. datis, Ferdinandũ Iuſtitiæ in Romano Imperio conſeruandæ cupidum ac Zeloſum, eiuſdemque tutorem commendatiſſimum appellat. Et ſanè hac virtute Regna maximè ſtare cùm intelligeret, nihil æquè optauit, ac ſuum cuique ius aut reddere, aut tueri. Cum iure fuit agendum, in vnam æquitatem intentus, nec affinitatem, nec dignitatem, nec auctoritatem partium reſpexit. Fruſtrà fuit illi aut potentiam alterius, aut ſpem ſuam obiicere, ſtetit contra omnia

Illuſtre teſtimonium.

omnia immotus, nec inclinauit, nisi quò Iustitia trahebat. Venerat ex Italiâ Viennam nobilissimi feudi ac opulenti gratiâ Princeps aliquis. Huius probitate ac suauitate delectatus Cæsar, agebat cum eo familiariter, & verò beneuolentiâ eum etiam prosequebatur non vulgari. Occupato Cæsaris animo, vix dubitandum videbatur, quin Principi adiudicanda esset causa. Discussis libratisque partium rationibus ventum est ad sententiam: Cæsar contra Principem pronuntiauit. Quò plus id aliqui mirati sunt, eò omnes magis Cæsaris Iustitiam extulerunt. Fuit, qui sciscitaretur à Cæsare, quâ ratione in posterum cum eo Principe esset acturus? respondit: *eâdem, quâ ante latam sententiam. Nec mihi licuit propter familiaritatem ab æquitate discedere: nec illi licet Iustitiæ studium interpretari*

Studio iustitiæ amicitiæ lex non offecit.

ri

ri mei in se amoris decrementum.

Rakerspurgi facto tumultu 5. Februarij 1608. occisus est Georgius Bamffius Baro Vngarus. Bamffij mortem è gente Vngarâ aliqui imputarunt præsidiarij militis Præfecto. Post dies non multos horribili incendio penè tota Ciuitas conflagrauit; & si famæ fides habenda est, non absimilis clades magnæ parti Styriæ imminere videri poterat, nisi Ferdinandus in Præfectum grauiùs animaduerteret. Fuêre ex Consiliariis, qui suggererent Principi, capite mulctandum Præfectum, vt parti læsæ fieret satis, malumque arceretur, quod grauissimum ab illis toti Prouinciæ imminebat. Respondit is: *Ego verò non patiar necem Præfecto inferri, si meritus non est: ad iniustitiam me minæ aut pericula non adigent; non si Prouincia tota sit exurenda; non, si cum vxore ac libe-*

Sanguine innocentis nec Regna redimenda.

liberis ad mendicitatem sim redigendus.

Cautus, si de alicuius vitâ ageretur.

Quoties causa criminalis discutienda fuit, tardè pronuntiauit: iussit à Iudicibus perpendi; referri ad se circumstantias omnes; iterum ac tertiò causam recognosci; demùm à religiosis Familiis precibus apud Deum agi, ne erraretur. Latam Ratisbonæ militari more sententiam in eos, qui Fridlandicæ conspirationis participes habebantur, reuocauit ad incudem: tertiò ac sæpiùs recognouit cum suis; modò per se, modò per alios diuinum lumen à Deo poscit. Si quâ in re probauit illud, Festina lentè, in iure dicendo ac pronuntiando probauit.

Vinum & oleum.

Ceterùm quotiescumque vidit nullum aut publico bono, aut priuato imminere detrimentum, Iustitiæ rigorem Clementiæ suauitate temperauit; exceptis vnius gene-

generis delictis, cap. 15. memoratis. Vix vnquam latam in reos sententiam præteriit à se non imminutam ac mitigatam. Modò genus commutauit supplicij, modò locum, modò tempus. aliquando partem pœnæ sustulit: aliquando totam. Quod potuit vni tantùm personæ adscribi, noluit pluribus imputari. Notam familiis non iussit ex eo, quòd aliquis ex iis, etiam læsæ maiestatis, reus est habitus. Nec parentum crimina filiis, nec filiorum parentibus: rursus nec vnius fratris delicta alteri censuit nocumento esse debere, aut probro. Cuiusdam Rei, cui vita non potuit condonari, filios ita solatus est, vt diceret patris crimen illis fraudi non futurum. addidit, se illis futurum parentis loco, si ipsi se gererent vt deceret. Vt plurimum laborauerit, ne Iustitia læderetur; vt sæpè dixerit: *Malle* *mori,*

Non potest Princeps nosse omnia.

mori, quàm iniuriam alicui inferre: fortè tamen non eſt aſſecutus, vt in aliquo ex Tribunalibus nunquam ſit peccatum. Hoc poſſum aſſerere, à ſciente ac volente non eſſe permiſſum. Nemo Principum poteſt omnia noſſe: etſi oculos apertos ſemper gerat, multa illum neceſſariò latent.

Liberalitas ac Munificentia.

CAPVT XXIV.

Principum liberaliſſimus.

SVperfluum videri poterit, hanc velle de Ferdinando conteſtari. Conſtans eſt opinio, vix in Romano ſolio aliquem ſediſſe, beneficentiæ laude cum Ferdinando comparandum. Si, quàm multa illius liberalitas in homines effudit, tam multa vellem hîc recenſere, non

non ego magis ſcribendo excederem, quàm ille nonnullis viſus ſit excedere donando. Magni nominis vir inter Aulicos facetè ſolitus eſt dicere, optandum è capitalibus duobus vitiis, Auaritiâ & Irâ, aliquid ineſſe Ferdinando. Nimirum & patiens vltra fidem, & munificus præter modum viſus eſt. Cùm nullum benefaciendi ac donandi finem fecerit, adhuc ſuo animo munificentiæ cupidiſſimo non videtur planè ſatisfeciſſe. Lepidè iocatus aliquando, gratiſſimum ſibi futurum dixit, ſi nouam copioſamque auri fodinam eius in terris Deus aperuiſſet, non ſibi vt opes aggeraret, ſed vt eſſet præ manibus, quantum alij peterent, quantum ipſe optaret dare. Non addam hîc plura de eius Liberalitate aut Munificentiâ, quam non tam demonſtrare, quàm tueri neceſſe habeo. Si quid enim in

Miti & minimè cupidus.

Quem in finem aurum appetiuerit.

Penè prodigus ab aliquibus habitus.

illo vllus reprehendit, prodigas ac profusas largitiones accusauit. Donatum esse vltra vires; donatum vltra meritum; locupletatas Religiosas Familias, Clerumque ditatos milites ac tribunos; auctos in immensum opibus cōsiliarios; interim æs alienum non esse dissolutū; creditores fraudatos suo; pauperibus, viduis, pupillis satis non esse factum.

Non tamen fuit. Non est hîc animus apologias scribere. Quod attinet ad largitiones, quibus æris alieni solutionem criminantur impeditam, hæc habeo quæ dicam. Non ita esse neglectum æs alienum, vt omnino sibi aliqui persuadent. Scio rationes magnas dissolutas esse vel Bonis attributis immobilibus, vel pecuniâ numeratâ. Adhæc Pragæ anno 1628. mandauit Ferdinandus, vt ex Camerâ Bohemicâ quotannis florenorum millia omnino

nino quinquaginta eò traducerentur, vt iis, qui olim Rudolpho aut Matthiæ Cæsaribus inferiori in ordine inseruierant, satisfieret, quocumque tandem titulo iis ius esset. Nec secus actum in aliis Prouinciis, quàm in Bohemiâ. Quoties delatum est vérè egere aliquem, & rationes in Camerâ habere, toties rescriptum, vt satisfieret.

His omissis, video æquè debuisse Cæsarem, quas vocant, largitiones facere, ac antiquum æs alienum dissoluere; imò illud huic fuisse præferendum. Fuêre tempora, quibus non priuata modò, sed publica omnia subiêre discrimen; armis erant tuenda; milite erat opus in campo; prudentibus domi consiliariis. Illi manu, hi prudentiâ & consilio, Prouincias ac Regna Principi; vineas, agros, domos, prædia, arces priuatis de-

bebant tueri. Non debuit largitionibus & hos & illos, ſibi ac rebus ſuis, ſuorumque populorum, Cæſar obſtringere? Quid ſi, quas vocamus largitiones, dixerim fuiſſe maiori ex parte ſtipendia? criminabitur quis ſoluta ſtipendia militi, dum illo opus eſt, ne ſignis excedat, aut ad hoſtem ſe conferat? Nam quæ ſunt Clero ac religioſis Familiis hoc tempore attributa, planè neceſſaria fuêre. Hoc armis agebatur, vt Hæreſi è Prouinciis, in quas etiam contra Imperij conſtitutiones vel irrepſerat, vel inducta fuerat, pulsâ, vera & Catholica Religio reſtitueretur: non debuit iis de victu proſpici, qui ſuo ſudore ac laboribus animarum ſaluti operam erant daturi? vt prætereàm, occupata quondam ab Acatholicis Eccleſiaſticorum bona, æquum fuiſſe aliquo iam modo compenſari.
Non

Non excurram longius. Ex iis, qui à Ferdinando opes ac dona accepêre, plurimi sunt doctrinâ & pietate laudatissimi; ex his nemo, non dicam petiisset aliquid, sed nec oblatum à Ferdinando suscepisse, si iniquè factum existimassent, ære alieno præterito, largitiones explicatas facere.

Amor ac Beneficia in Clerum, ac Religiosas Familias.

CAPVT XXV.

OCcasionem omnem Clerum & Religiosas Familias exornandi auidè arripuit, nec minùs dignitati eorum & commodo consuluit, quàm pater amantissimus filiorum. Clero parœcias, illisque adiuncta Sacerdotia in Bohemiâ, ceterisque Austriacis Prouin- *In Clerum sæcularem.*

uinciis penè innumera restituit. Vt restitueret, summo suo labore, sumptu, periculo Acatholicis eripuit. Canonicorum Collegia plurima, & Viennense imprimis, nouis trãscriptis opibus auxit. Quatuor fundandis in Bohemiâ Episcopatibus dotem constituit. Pragensem Archiepiscopatum, quem Ferdinandus Primus instaurauit, Secundus annuis florenorũ quatuor ac viginti millibus appositis locupletauit. Damna, post Hussiticam Hæresin disseminatam, Clero in Bohemiâ illata, magnificâ largitione compensauit. Strigoniensem in Vngariâ Primatum exsoluit onere, quo viginti quotannis florenorum millia ad Nouæ Arcis præsidium cogebatur pendere. Eidem olim à Stephano Rege, Sanctimoniæ famâ illustri, concessam, posteà temporum iniuriâ aliò deriuatam, quadragesimam

In Pragensem Archiepiscopatum.

In Strigoniensem.

mam octauam partem (Bisetum vocant) auri argentique, quod ex Vngaricis fodinis eruitur, restituit. In Austriâ ipso sui regiminis exordio Statui Ecclesiastico quadraginta florenorum millia, Principi gubernanti quotannis iam pendi solita, sponte remisit. Mortuo aliquo Episcopo vel Prælato, tam in Vngariâ quàm in Austriâ, antecedentes Reges & Archiduces solebant mobilia relicta (quæ spolia vocabantur) vsurpare, & de iis ad libitum disponere: Ferdinandus nihil horum attingere, sed successoribus Ecclesiasticis relinquere voluit. Vt omittam intereà impensas in Templis reparandis, in Sacerdotibus alendis, in clericis particularibus subleuandis, aliisque id genus quàm plurimis, non beneuolè magis quàm liberaliter factas. *In Prælatos Austriæ & Vngariæ.*

Iam Religiosis è Familiis nulla est *In Religiosorum Ordines.*

est, quæ Cæsaris in se amore iure non glorietur; nulla, quæ ei plurimum se debere nō fateatur. Olim in suis Prouinciis receptas, vel antiquo splendori restituit, si exciderant; vel florentes, domiciliis auxit. Plures primus ipse induxit in Austriam, ac Bohemiam; Styriamque Clericos Regulares S. Pauli, Camaldulenses, S. Francisci de Paulâ cœnobitas, Carmelitas discalceatos sexus vtriusque, S. Augustini reformatos Eremitas, Benedictinos è Monte serrato ab Hispaniâ huc profectos, Seruos B. Virginis, Congregationis Hibernicæ Franciscanos. His autem, aliisque, aut ex integro cœnobia fundauit, aut ab aliis fundata splendidè iuuit.

Singulariter Ordines illos coluit, quos suis insistere Institutis aduertit, nec à Maiorum suorum virtute deflectere. Horum preces fre-

frequenter apud Deum expetebat: hos habebat familiariùs, ſolitus etiam aliquando penes illos prandere: his optabat benè affectos, non modò qui ſibi erant, ſed etiam qui Filio ſucceſſuro à conſiliis erant futuri. Horum perſæpè prædicauit ſe orationibus debere felicitatem ſuam, ac ſingulare, quod erga ſe experiebatur, Dei patrocinium.

Quia, Orbe vniuerſo indice, tenerrimè Societatem IESV dilexit, exigit hic locus, vt grati animi in argumentũ peculiaria quædam eius in nos beneficia commemorem. Erexit Societati IESV noua domicilia non pauciora quàm decem. Domos Profeſſas duas, alteram Viennæ, alteram Pragæ: Domos Probationis totidem, Leobi, & Viennæ. Collegia ſex, Labacenſe in Carniolia, Clagenfurtenſe in Carinthiâ, Gori- *In Societatem IESV.*

tienſe

tienſe in Foro Iulio, Kuttenbergenſe & Lithomericienſe in Bohemiâ, & in Sileſiâ Glogouienſe. Alia plurima aut ab aliis iam fundata & erecta, aut vt erigerentur, adiuuit. Collegij & Academiæ inſtitutæ tam Græcij à parente Carolo, quàm Pragæ ab Auo Ferdinando I. vectigalia cenſuſque annuos in duplum, aut etiam triplum auxit. Inſigni ſubſidio iuuit Paſſauienſe, quod Leopoldus Archidux frater, Lincenſe & Brunenſe, quæ Matthias & Rudolphus Cæſares fundauerant: ſimiliter in Morauiâ Olomucienſe, Iglauienſe, & Znoymenſe; Zagrabienſe in Slauoniâ, Iaurinenſe in Vngariâ, Fluminenſe in Iſtriâ, Tergeſtinum ad mare Adriaticum; in ſuperiori Auſtriâ Styrenſe, & in aliis regionibus alia, vt ſuo loco adnotaui. A Societate ipſe parentum ac ſuâ voluntate litteris

&

& pietate institutus; suos fratres & filios ab eadem voluit institui. Sibi ac liberis omnibus, è Societate homines, à confessionibus & concionibus qui seruirent, elegit; eosdem quotidie sibi ac suis ad aras in aulâ voluit operari; eosdem deprecatores apud Deum accedere, cùm grauiùs aliquid immineret, ad ipsos diuertit frequentissimè: familiarissimè cùm iisdem sæpè pransus, ac cœnatus, nullam omisit eum Ordinem vel tuendi, vel exornandi occasionem. Vulgò etiam iactatum est, Ferdinando tangi oculos & pupillam, cùm Societas tangeretur; non posse vllum Societatis hostem censeri, qui Ferdinandi hostis non esset; qui Ferdinando benè vellet, eum benè velle Societati.

Ferdinando Filio 3. Maij anno 1634. in castra proficiscenti, primo loco, & quidem sponte ac motu

Societatem Iesu Filio Regi impensè commendat. motu proprio, Societatem ardenter commendauit. Respondenti opus non esse commendatione, cùm eam sponte amaret æstimaretque; subintulit: *Imò verò illam tibi iterum, & etiam atque etiam commendo. Protegas illam non minùs contra hostes apertos, quàm contra fictos amicos. Decursu temporis deprehendes multos in eum Ordinem amorem iactare, qui non amant, & tamen deberent.*

Eius Societatem ingrediendi desideriũ. In eiusdem commendationem dixit aliquando: *Si liber essem, vt fratres mei hodie sunt, Societatem* IESV *omnino ingrederer.* In eiusdem laudem, reuersus Francofurto Græcium iam Cæsar, & in Collegij refectorio à Ioanne Carolo primogenito, dulcissimæ & felicissimæ memoriæ, & Ferdinando Ernesto hodie Cæsare, filiis, eleganti oratione salutatus, inquit: *Spero meos filios Societatem amaturos. Si egerint, felices erunt ac beati.* Quid mul-

multa? dignatus non semel est eam matrem suam compellare. Femina quædam vulgârat in Aulâ Hispanicâ, hominem è Societate, in Cæsaris Aulâ Confessarij munus obeuntem, ausum esse puellam ad stuprum vrgere, & eum hoc nomine à Cæsare iussum Aulâ exulare. Id ab Hispaniâ ad Præpositum Societatis Generalem; ab illo ad Cæsaris Confessarium; ab hoc per litteras ad Cæsarem ipsum deuênit. Cæsar Confessarij litteris in hæc verba suâ manu rescripsit: *Reuerende in Christo Pater. Remitto R. V. mendacium mendaciorum omnium mendacissimum. Quod quidem risi, sed simul totus excandui. Et si R. V. in hoc puncto, seu mendacio, à nobis testimonium in contrarium petierit, non detrectabimus ad conseruandam bonam famam Matris nostræ Societatis in amplissimâ formâ extrà dare. Seruet Deus Societatem cum V. R.* *cuius*

Societatem Iesu matrem suam appellat.

Eius honorem defensum cupit.

cuius precibus & SS. Sacrificiis me totaliter commendo. Eberstorffij 17. Septembris, 1633. R. V. in Christo filius, Ferdinandus. Nullum deberem finem facere beneficia Ferdinandi in nos deprædicandi, quia ille nullum vmquam finem fecit benefaciendi. Sed quando instituta breuitas plura non patitur, caput hoc codicilli parte claudam. Sic ergo iussit in eo scribi: *Quia ad hæc omnia* (egerat de restituendâ ac seruandâ Fide Catholicâ) *vtile præ ceteris medium est, Ecclesiastici ordinis viros ac Sacerdotes colere, tueri diligenter, eorumq; incrementum quærere & promouere: hinc nostrum natu maximum Filium, regnaturum Dominum, Ferdinandum Ernestum omnesq; nostros liberos, hæredes, ac successores, paternè prorsus ac beneuolè monemus, eisq; iniungimus vt ipsi, is verò præsertim, qui pro tempore regnabit, Sacerdotes, ceterosq; Ecclesiastici ordinis homines,*

Eam Hæredibus magnificè commendat.

nes, eorum domos, templa, monasteria, fundationes, temporalia bona, iuraq; commendata inprimis habeant: eos honorent, ament, quàm maximè possunt protegant & propugnent. Ante omnia autem seriò, singulariq; ex Zelo ipsis commendamus peruenerabilem Societatem IESV, eiusq; Patres, vel ob id maximè, quod illi suâ doctrinâ, charæ iuuentutis institutione, vitâque exemplari in Christianâ Catholicâ Ecclesiâ, non solùm in his interioris nostræ Austriæ Prouinciis, sed Regnis nostris omnibus, omnibusq; nostris prouinciis, imò toto Orbe Christiano, multùm, benè, vtiliter operantur, in conseruandâ promouendâque Catholicâ Religione fideliter omnino, & præ aliis adlaborant: contrà verò ingratus hic malusq; mundus eos præ ceteris odit, ac persequitur: vt proinde maiori protectione, auxilio, aßistentiâ indigeant, digniq; sint Hæc omnia supradictos nostros hæredes & successores sincerè præstituros confi-

confidimus. Est verò hæc vna vltima nostra intentio & voluntas.

Beneficia in Pauperes.

CAPVT XXVI.

Pauperum tutor.

QVod humanæ Restitutor salutis olim iusserat, Ferdinando semper hęsit; in paupere Deum semper agnouit. Hinc promptum in pauperes auxilium; hinc illorum cura propemodum sollicita. Suggesserat è Consiliariis aliquis, sibi ipsi Cæsar vt parceret, pauperum ac tenuioris sortis hominum libellos alicui è suis committeret; eximeret se minimorum curis ac molestiis. Risit ad hæc ille planè effusè; tum adiecit: *Pauperibus consulere gratum sibi esse, non molestum, in hoc à Deo se electum ac vocatum.* Alteri similia suadenti: *At*, inquit, *libellorum & causarum cognitione, qua*

Quibus mediis beatitudinem se obtenturum sperarit.

quæ pauperes pertingunt, cælum lucramur. Nescio an hoc accidat, cùm principum ac procerum causis intendimus.

Anno 1633. pauperum causis Aduocatos deesse cùm inaudisset, quia ab illis lucri spes non erat, proposuit, vbi primùm à bellis, quæ opes omnes exhauriunt, respirare liceret, ex proprio ærario velle se in singularum prouinciarum Metropoli certo Aduocatorum numero stipendia attribuere, vt omni diligentiâ, ac conatu pauperum, viduarum inprimis, ac pupillorum, causas propugnent ac tueantur. *Laudabile propositum.*

Ægrotantium pauperum valetudini, captiuorum redemptioni intentus, illis xenodochia erexit vel amplificauit, his dato pretio subuênit. *Xenodochia erigit, amplificat.* Adolpho Michaëli Comiti ab Althan, viro laudatissimæ virtutis, qui Turcicâ captiuitate *Captiuos redimit.*

pau-

pauperes educendos susceperat, in eam rem ex singulis Prouinciarum suarum ac Regnorum officiis, quæ longè plurima sunt, tres supra triginta aureos Vngaricos iussit aliquando numerari.

Pauperum pater.

Quocumque pergeret, pauperes accurrebant; quibus omnibus modò suâ, modò alienâ manu stipem erogabat. Spectaculum fuit ad pietatem excitandam pulcherrimum, quà Cæsar in Imperium vel Bohemiam erat iturus, vias pauperum turmis obsessas videre, & ab illo non modò non fastidiri, sed peramanter cerni, liberaliter subleuari. Quoties maiore recurrente hebdomadâ, sepulchra, quæ vocant, adiuit, (adibat autem singulis annis supplex ac pedes, viginti vt minimum in diuersis Ecclesiis,) toties à vicinis oppidis pagisque confluxêre in vrbem pauperes planè plurimi:

certi

certi non præteriturum Cæsarem, quin benè miseris faceret.

Quando venationis vel aucupij gratiâ certum locum dies aliquot commoraturus petiit, quasi signo dato illò pauperes aduenêre. Placuit quibusdam arceri turmas illas miserorum à Cæsaris domicilio; facillimum esse per illos pestem & luem inuehi. Cæsar hoc prouidentiæ genus non probauit, solitus dicere: *Deum non posse abesse, si pauperes adsint.* Suadenti cuidam, vt quempiam è seruitio dimitteret, causamque adferenti, quòd eius operâ Cæsar non indigeret, respondit: *At ipse meâ fortasse indiget, fortè pauper est.*

Vbi pauperes, vbi Deus.

Antequàm domicilium Grætio Viennam in Austriam è Styriâ transferret renuntiatus Imperator, solitus est Grætij aliquoties in anno xenodochia adire, pauperibus & egenis epulum dare.

Pauperibus in Xenodochio ministrat.

re.

re. Aulici primarij, Patreſque Societatis IESV fercula deferebant; ipſe ſuis manibus ſua ſingulis apponebat. Inter epulas, & poſt illas, modò hunc, modò illum familiariter alloquebatur; de patriâ, de morbo interrogabat; ſolabatur omnes; omnes ad pietatem inſtruebat. Egit hoc idem in Aulâ Dominicis quibuſque diebus, quò, matris laudatiſſimæ exemplo, duodecim pauperes accerſiri iubebat è publicis plateis, vel xenodochio. Dabat epulum; miniſtrabat diſcumbentibus, matre, dum vixit, ac vxore, liberiſque, tum è Societate IESV Sacerdotibus duobus cooperantibus. Si ipſum abeſſe contingeret, matre & vxore vitâ functis, voluit id officij à liberis præſtari, eodem ritu & modo obſeruatis. Vt antehac Archidux & Rex, ita etiam poſteà dictus Cæſar, ac iam Impera-

perator ex piorum Principum consuetudine quotannis feriâ quintâ maioris hebdomadæ duodecim viris pauperibus grandi natu, seruato Ecclesiæ ritu, Aulicis omnibus, aliisque, quibuscumque libuit, spectantibus, flexis humi genibus, pedes lauit, tersit, osculatus est; ad regium epulum discũbentibus ministrauit. Quod ex epulo superfuit, suis manibus distribuit in vasa ad id parata. Prandio finito, ea per sui corporis satellites iussit deferri, quò pauperes cuperent; ipsos pauperes veste ac pecuniâ donatos humanè tandem dimisit.

Eorum pedes lauat.

Studium litteras promouendi.

CAPVT XXVII.

Litteras amat.

BOnis ipse excultus litteris, litteras litterarumque studiosos amabat; & viros doctos, si bonis artibus & doctrinæ morum probitas accederet, summâ beneuolentiâ prosequebatur. Libentissimè eorum vtebatur operâ, & beneuolè, vel ad opima sacerdotia, vel ad munera perhonorifica promouebat.

Et honorat.

Gratissimum illi erat audire, Procerum ac Magnatum filios strenuè in bonarum disciplinarum studia incumbere. Vt ardorem in iis qui id agebant, augeret, ac in aliis excitaret: sæpè comites aut Barones, quos pro dignitate vel de Philosophicis disputa-

putare, vel Academicos gradus eſſe aſſecutos cognouit, publicè aut aureâ catenâ exornauit, aut datâ aureâ claui in ſuos vel filiorum Camerarios adlegit, ſimilíve alio honore dignitatéque inſigniuit. Hoc perpetuum habuit, vt in committendis muneribus, quæ ſolis Proceribus committi ſolent, eos ceteris præferret, quos vel gradu Academico eminere, vel aliàs doctrinâ nouerat excellere; & ſi alij, qui eòdem aſpirabant, ætate præirent, & ſeruitij diuturnitate.

Bonarum artium Gymnaſia excitat.

Gymnaſia iuuentuti excolendæ inſtituit plurima in hæreditariis, Imperiique, Regnorumque Prouinciis. Academias & ſtudia, vt vocant, generalia vel collapſa reſtituit, vel noua erexit, vel ab aliis excitata confirmauit. Ephebia ac Seminaria, quibus tenuioris conditionis adoleſcentes alun-

Studioſorum Seminaria.

 tur,

tur, vt litteris ac pietati operam ſedulam nauent, alicubi ipſe fundauit, alibi ab aliis fundata opibus auxit. Incoluntur inſigni Reipub. bono Seminaria hæc à iuuenibus plurimis Viennæ, Pragæ, Græcij, Clagenfurti, Labaci, Olomucij, Tyrnauiæ, & alibi.

Iam nobilibus & claro loco natis adoleſcentibus, itemque iis, quibus in Clerum libet adſcribi, opulenta conſtituit Ephebia, Olomucij, Pragæ, Tyrnauiæ, Gitzini, aliiſque in vrbibus non paucis. Attribuerat Imperio, vnde Scotis & Anglis adoleſcentibus proſpici poſſet ad litteras ediſcendas; ſed temporum iniquitas benè inchoata perfici non eſt paſſa.

Errorum Seminaria euertit. Quo ſtudio prouidit, ne Gymnaſia adoleſcentibus, aut adoleſcentes Gymnaſiis deeſſent, ad ſanæ doctrinæ, veræque Religionis incrementum: eodem egit, vt

Acatholicis ſcholæ deeſſent, in quibus Hæreſim edocerentur. Aliquot falſæ doctrinæ Gymnaſia euertit: aliquot in meliorem vſum commutauit. Celeberrimum Gymnaſium ex communi Prouinciæ ærario ab Acatholicis Grætij excitatum, in Monaſterium vertit, in quo integerrimæ virgines piis S. Claræ inſtitutis inſiſtunt: in eo & matris corpus, & Ferdinandi cor ſepulta conquieſcunt.

Quædam in Ferdinando mira.

CAPVT XXVIII.

LIbet hîc ponere ob oculos quædam, quæ per hiſtoriam totam ſparſim narrata, planè mira videntur fuiſſe in Ferdinando; vt

eò clariùs maximi Principis virtus agnoſcatur, & colatur.

Faſtigium & demiſſio.

Mirum ſanè eſt, cum tantâ dignitate poteſtateque, quantam in Auguſto nemo non ſuſpicit, tantam animi demiſſionem, Chriſtianamque Humilitatem à Ferdinando potuiſſe coniungi. Æſtimatum ab omnibus quàm maximè fuit, illum à ſe vno fuiſſe contemptum, quem ob ſummam virtutem magis, quàm ob Cæſaream dignitatem, boni omnes iure merito venerabantur. Ipſe ſe vermem non hominem prædicabat, quem viri pij & ſapientes ſupra homines, vt ſanctum Principem extollebant.

In ſummâ libertate caſtimonia vitæ.

Mirum eſt, in tot tamque præſentibus occaſionibus, tum ante nuptias adoleſcentem, tum poſt primum Matrimonium viduum, à trigeſimo ſexto ad annum ſuæ ætatis quadrageſimum ſecundum per-

perstitisse impollutum, integrâ castitate: non deliciis fractum, non victum fuisse cupiditatibus.

Mirum est, in tantâ varietate fortunæ, animo semper fuisse præsentissimo ac tranquillo; nec aduersis succubuisse, nec prosperis fuisse elatum. Planè stupendum, à proposito restituendæ veræ Religionis nunquam excidisse, etsi eò non semel ob eam causam deuênit, vt conclamatum videretur, nisi desisteret. *In aduersâ fortunâ constans.*

Mirum præter modum censendum, in summâ hostium, & eorum, qui res ipsius turbatum ibant, & perditas volebant, multitudine, in nullum odio exarsisse; imò de nullo vmquam esse questum. Nec minùs illud admiratione dignum, in ipsis hostibus perstitisse semper eius venerationem, certamque opinionem, *In hostes beneuolus.* *Eius virtus etiam ab hostibus prædicatur.*

heroicam in illo virtutem esse, Principem sanctum esse.

Medici tria mirantur. Mirum & miraculi instar esse dicunt Medici, inspectâ eius post obitum internâ pulmonum, stomachi, hepatis, lienis, & renum constitutione, quòd lætus & iucundus, & in omnes facilis esse potuerit; quòd ante plures annos mortuus non fuerit; quòd ita placidè absque clamore, agitatione corporis, grauiori gemitu, & omni oris oculorumque distorsione obierit, faciliùs quàm solitus fuerit aliàs indormire.

Mortuus dormire videtur. Mirati sunt etiam, quotquot viderunt corpus eius, post mortem triduo publicè expositum, omnem eam frontis, faciei, ac totius vultus externam habitudinem conseruasse, quæ fuerat dum viueret; vt non Ferdinandi cadauer iacere, sed Ferdinandus ipse viuens dormire videretur.

Mirum & hoc: Fredericus Comes Palatinus Rheni, & Elector, contra Ferdinandum coniurauerat; exercitum habebat instructum; Regium diadema de Ferdinandi vertice consensu iam ac animo detraxerat: cùm ceteris Electoribus suo Ferdinandum suffragio ad Imperatoriæ fastigium dignitatis euehentibus, ipse etiam accessit, eoque ipso gladium porrexit, quo feriretur. Sed & illud omittendum non est inter mira de Ferdinando, quod ex illius nunquam satis laudati Principis, Ioannis Suicardi Archiepiscopi & Electoris Moguntini, ore proprio acceptum; eiusdem Principis Confessarius Ioannes Reinhardus Ziglerus, Societatis IESV, ex Electoris voluntate dum ille vixit reticuit; post eius verò mortem sæpè recensuit. Quo tempore Francofurti an-

Beatissima Virgo monet, vt in Imperatorem eligatur.

no 1619. aduerſariorum non pauci nec imbecilles ardenter ſuggerebant, præſenti vtendum opportunitate, occaſionem, quâ melior optari non poſſit, prætermittendam non eſſe: res Papiſtarum vniuerſas vno poſſe momento præcipitari, ſi, quod erat facile, Catholici Electores, qui omnes aderant, neci traderentur: eo tempore glorioſa Dei Mater, vt benignißima, ſic etiam potentißima Virgo, ſe Ioanni Suicardo Moguntino Archiepiſcopo, atque Electori præſentem ſiſtit, animoſque addit his verbis: Conſtanter age Suicarde: noli timere; elige Ferdinandum. dictum, factum, peruerſa molientium concidit machinatio; non eſt conſilium contra Dominnm.

Singularis diuinæ Protectionis argumenta.

CAPVT XXIX.

Hostium praua desideria moderatur Deus.

HÆc etiam per totam historiam sparsa proderit hîc iuncta habere sub oculos. Permisit Deus plurimos, eosque fortissimos, in Ferdinandum hostes insurgere; non permisit simul ac vnà omnes arma capere; vno subacto alter erupit. Simul omnes si irruissent, par non erat futurus. Omnes vnus vt posset vincere, singulos Deus permisit congredi. Maximum illi periculum à Turcâ cùm videretur posse imminere, tamquam à vicino & instructissimo hoste: cùm ex rebellibus, aliisque hostibus fuerint, qui eò consilia viresque omnes intende-

Turcam cohibet.

rent, vt Turcam in Cæſarem impellerent; ſpem optati euentus proponebant non ambiguam, lucrum præ manibus amplum ſpecioſè oſtentabant. Dei prouidentiâ planè ſingulari factum eſt, vt ſurdas aures Turca habuerit, nulliq́ue bellum in Cæſarem ſuadenti acquieuerit.

Colligationes diſſoluit.

Sæpè icto fœdere Principes, vrbeſque ac Prouinciæ permultæ conſpirârunt, vt vnitis viribus Cæſarem opprimerent: Deus nullam vnionem, nullum fœdus diu paſſus eſt conſiſtere. Breui aut hic, aut ille, priuatis rebus vt conſuleret, à ſociis receſſit; quiq́ue coniuncti potuerunt eſſe terrori, diuiſi penè fuêre ludibrio.

Diſsipat conſilia hoſtium.

Profligato Cæſariano milite, ad Lipſiam à Sueco, facillimum fuit caput, ipſummet Cæſarem petere; & ad extrema adigere. Nullus in hæreditariis Prouinciis

ciis miles, nulla præsentis subsidij spes. Qui Ferdinandum tuebatur Deus, Regem, peritissimum Ducem, aut excæcauit, aut perterruit. Digressus is est ad membra impugnanda, cùm caput ictui pateret. Prælio, quo Ferdinandus Rex, Ferdinandi Cæsaris filius, cum aliis Principibus hostium vires ad Nordlingam accîdit, clarissima emicuêre Numinis Cæsarem tuentis argumenta. Si paucis diebus citiùs hostis stetisset in acie: Cæsarianos nec rebus adhuc satis instructos necessariis, & copiis longâ ac perdifficili Ratisbonensi obsidione diminutis debilitatisque, ad certam plus satis incerti exitus pugnam coëgisset. Si paucos dies protraxisset, necessarium commeatum impedire, aut recedentes damno afficere potuisset. Eâ die pugnatum est, quâ hostis potuit

Victoria ad Nordlingã diuinitùs parta.

tuit vinci, Ferdinandus vincere.

Similiter in albo monte ad Pragam.

Prima illustris Cæsaris victoria ad Pragam, vt primum, ita euidens fuit præsentis Numinis argumentum. Pugnatum est à Cæsarianis iniquissimo loco; hostis montis albi ipsum verticem insederat; Cæsariani aduersum montem scandere, fatigati hostem debuêre aut inuadere, aut excipere. Tamen, quod nec hostes timebant, & Cæsariani vix audebant sperare, ope Numinis penes hos stetit victoria, & ea nobilissima; Deo scilicet Cæsarem tuente, ac protegente.

Præcipitatos seruat Deus.

Quid multa? euidentissimis Deus argumentis singularē suam Ferdinando curam ac tutelam promittere visus est, cùm anno 1618. à rebellibus Pragæ, vt dictum alibi est, è Regiæ Aulæ fenestris in altum præruptumque solum Gulielmus Comes Slawa-

ta,

ta, Iaroslaus Comes à Martiniz, Philippus Fabricius Regno à Secretis, Cæsari fideles, ideò hostibus exosi omnes, præcipites acti sunt. Cùm enim eo casu nemo perierit (quod miraculi instar multi habuerunt,) animo præsagierunt, permissurum quidem Deum ab hostium furore vt affligeretur; non permissurum vt periret; effecturum, vt à casu validior illustriorque assurgeret Ferdinandus.

Cælites Ferdinandum protegunt.

Narrat Episcopus Auersanus Carolus Carafa, tunc apud Cæsarem Nuntius Apostolicus, in suâ Germaniâ sacra restaurata, quod sequitur. Anno 1620. ipsâ octauâ post festam diem S. Vito Metropolitanæ Pragensis Patrono sacram, eo in templo, noctu à mediâ decimâ ad tertium quadrantem vndecimæ, canentium veluti Sacerdotum chori non ab

aliis tantùm Acatholicis, ſed ab ipſis Frederici Pſeudo-regis ſatellitibus publicè auditi ſunt: cùm tamen templo ab Hæreticis occupato, nullus ad illud Sacerdotibus aut Catholicis aditus pateret. Sequenti anno, eâdem octauâ die recurrente, ſumptum publicè Pragæ eſt ſupplicium de rebellium capitibus, qui Bohemiæ Directores ſe nominârant. Meritò ergo præfatus Carolus Caraſa Auerſanus Epiſcopus, & Nuntius ad Cæſarem Apoſtolicus, rem perpendens aſſeruit, S. Vitum, alioſque Patronos diuos, eo cantu à Deo vindictam in rebelles pro Ferdinando poſtulaſſe. Vt conſtaret pro Ferdinando ſupplices fuiſſe exauditos, eâdem die, recurrente anno, perduelles tracti ſunt ad pœnas.

Hoſtium funeſtus exitus. Obſeruabile denique illud eſt, ex omnibus, qui iniuſta in Ferdinan-

nandum arma ſumpsêre, vix vllum reperiri, quem vel violenta mors non abſtulerit, vel res aduerſæ non deiecerint, vel nominis macula non fœdauerit. Cùm ipſe è diuerſo nomen quotidie illuſtrius comparârit; feliciora ac ſecundiora nactus fuerit; ac tandem viſo ſucceſſore, quem optabat, Filio, placidiſſimâ morte non tam obîerit, quàm à laboribus conquieuerit.

Summorum virorum teſtimonia.

CAPVT XXX.

OPeræpretium erit coronidis loco hîc adiicere, quid de Ferdinando vel adhuc in viuis agente, vel vitâ iam functo, ſummi laudatique viri ſenſerint. Ea enim

enim demùm vera laus eſt, à laudato viro commendari. Antequàm ſingulos proferam, commune mortalium omnium, qui vel cum eo familiariùs egerunt, vel ab eo geſta perceperunt, teſtimonium producam. Quo die Viennæ occubuit, vna vox fuit omnium, *occubuiſſe Cæſarem, cui parem ſanctimoniâ, pietate, integritate, clementiâ, ſuperior vlla ætas non vidit.* Eadem vox Prouinciarum omnium ſubditarum fuit. Similia in exteris Prouinciis deprædicata accepimus. Ne ipſi quidem Acatholici diſſenſere, quorum vnus è ſuggeſtu ad populum pronuntiauit, aut nullum è Catholicis in cælum admitti, aut Ferdinandum cælo receptum eſſe. Longum facerem, ſi elogia referrem, quæ funebres orationes Germaniâ totâ aut alibi à ſummis oratoribus habitæ continent: Vbique *pius Fidei reſti-*

Fama communis.

Etiã apud Acatholicos.

restitutor, vbique *Hæreseos fortis profligator*, vbique *constans, mitis, munificus, humanus*, quodq́ue pulcherrimum est, vbique *Deo charus, & sanctus* prædicatur; illum hic Ezechiæ, Iosaphato alter, tertius Dauidi comparauit.

Sed iam ad particularia veniamus. Apud milites ducesq́ue Catholicos is est creditus Ferdinandus, *cuius precibus plus posset tribui ad victoriam consequendam, quàm maximorum exercituum armis ac viribus.* Malle se, dixit è primis Ducibus quispiam, vt Ferdinandus supplex semel ad Virginis ædem accederet, ibiq́ue Litanias recitaret, quàm vt selectorum militum duodecim millia ad se subsidio mitteret; plus se ab eius precibus, quàm ab horum viribus sperare. Quod si libet etiam hostes audire, habeo dictum à Gustauo Sueciæ Rege, *in tantâ, quam experiebatur,*

Quid de eo senserint milites.

Hostes.

tur, fortunâ, vnam sibi formidini Cæsaris esse virtutem. Habeo dictum à Gabriele Bethlemio, *difficile ac dubiæ aleæ plenum opus esse, pugnare contra Ferdinandum, quem nec aduersa deiicerent, nec prospera extollerent.* Habeo interroganti Murtasan Budensi Bassæ ac Visirio, quî factum esset, vt Ferdinandus vir minimè militaris, de Sueciæ Rege fortissimo Duce ac peritissimo triumphârit, à Turcâ ætate ac consilio facilè principe responsum, *Ferdinandus Sanctus est; Deus cum illo est, & pro illo pugnat.*

Aulici. Militibus Aulicos subiungam. Hæc apud omnes opinio fuit, *Ferdinandum Deo plenum esse, in eius vitâ ac moribus vix posse aliquid desiderari: planè ad virtutis normam esse compositum.* Ioannes Vdalricus Princeps Eggenbergicus, Crumlouij Dux, & Ferdinando à consiliis primus, anno 1628. cùm supplicatio pu-

blica

blica domum, in quâ ipse ex podagrâ decumbebat, pertransiret, audissetque Wenceslaum Bohemiæ Ducem inter Sanctos Martyres inuocari: viro Religioso ad illum paulò pòst accedenti: *Non dubito*, inquit, *quin aliquando non solùm in Regnis, ac Prouinciis Austriacis, sed orbe toto Ferdinandus II. quoque in vota ac preces sit inter cælites compellandus.* Ita vir hic de Ferdinando sentiebat, quem, si quis alius, ipse probè norat.

Iam Infulis ac sacris tiaris ornatos audiamus. Laudatissimæ virtutis Matthias Episcopus Neostadiensis defuncti Ferdinandi sanctimoniam, ac inprimis Humilitatem, cùm multis deprædicasset, adiecit *existimare se pro eo defuncto minimè esse orandum: illum suffragiis non indigere, iam procul dubio cælo receptum, & pro nobis orare.* *Episcopi.* Cùm Carolus Carafa Auersanus

Anti-

Antistes, & olim apud Ferdinandum Apostolicus Nuntius, anno 1624. Vrbano VIII. nuper electo, Cæsareæ Aulæ statum perscriberet, asseruit *post Constantinum Ferdinando non fuisse parem Imperatorem.* Ferdinandus Coloniensis Antistes & Elector, cùm anno 1636. eximiam Principum quorumdam virtutem laudasset, & vnius præcipuè: ducto ab imis suspirio, elatâque voce exclamauit: *At Ferdinando II. numquam, numquam parem habebimus. Omnium ad se accedentium corda rapit, timidos erigit, serenat perturbatos, nullum tristem à se patitur abire.* Anselmus Casimirus Moguntinus Archiepiscopus & Elector, Ferdinandi obitu cognito, litteras eius commendatione plenissimas 30. Martij dedit. litterarum summa hæc est: *Maximum fuisse Ferdinandi Zelum in promouendâ & propagandâ Catholicâ*

Fide,

Fide, studium in publicâ salute promouendâ, seruandâque in Romano Imperio Iustitiâ: paternam in omnes clementiam, inuictum patrocinium, in exantlandis, perferendisq; molestiis, ac laboribus constantiam & patientiam: placuisse diuinæ benignitati illum ex valle hac lacrymarum ad cælestis gloriæ triumphum euocare.

Æquè præclarè sensêre de eodem S.R.E. Cardinales. Quorumdam hîc ego, non omnium, testimonia subiiciam. Scipio Cobellutius titulo S. Susannæ Presbyter Cardinalis, anno 1621. ipso sanctorum omnium die festo, auditâ vitæ ratione, cognitisque quotidianæ pietatis exercitiis quæ Cæsar vsurpabat, sæpiùs inclamauit: *Is verò sanctus est Princeps, sanctus Imperator.* Cardinalis Cleselius, cùm Romæ percepisset Austriâ totâ pulsos Hæreseos magistros, quod fieri posse numquam sibi per- *Cardinales.*

persuaserat, in eas voces erupit: *Id sanè sine miraculo fieri haud potuit. Ibo illuc, & præsens intuebor, quæ Deus per Ferdinandum operatur miracula.* Idem ex vrbe Viennam reuersus, iussúsque à Cæsare tunc Pragæ morante, tum Viennæ, tum vicinis in oppidis, arcibusque adiacentibus hæreticos libros inquirere, & habentibus auferre: primò hæsit, tumultum veritus popularem; sed positis deinde ob oculos, quæ Deus mira per Ferdinandum egerat ac agebat, nihil dubitauit opus aggredi. Executus feliciter, prædicauit *Ferdinandi Zelo perfici, quæ humana prudentia non credit fieri posse.* Archiepiscopus Senonensis Cardinalis Rochefocaudt, à virtute & doctrinâ commendatissimus, Societ. IESV Religiosos aliquot, qui suis sedibus ab Hæreticis pulsi in Gallias è Germaniâ se receperãt, de reditu conso-

consolatus, *vester,* inquit, *Cæsar vir Deo charus est, triumphabit tandem de Hæreticis: Deus numquam sinet illum vinci.* Cardinalis Pazman Strigoniensis Archiepiscopus, & Vngariæ Primas, cùm grauissimum è Cæsaris obitu suum esse dolorem scripsisset, hæc supposuit: *Neque aliud me solatur, quàm quòd post sanctam mortem, certâ beatitudine perfrui optimum Imperatorem non dubitem: & tantum ac talem filium paternarum virtutum hæredem fore, certò mihi persuasi.* Tyrnauiæ 27. Februarij, 1637.

Supersunt ipsa prima Orbis capita. Quâ apud Reges omnes in æstimatione Ferdinandi virtus fuerit, necesse non est explicare. Explicârunt illi, publico luctu ob eius mortem indicto. Ipse Turcarum Imperator publicum funus Constãtinopoli ingenti pompâ passus est celebrari. Nec ægrè *Reges.*

tulit cœnotaphio ſceptra coronaſque imponi, Maieſtatis inſignia. Laudatus eſt, illo non improbante, Conſtantinopoli Cæſar Ferdinandus oratione funebri, quam pronis auribus excepere viri primarij, Regumque ac Principum Legati. Eleonora Auguſta, cui Cæſaris ſui vita moreſque probè fuêre perſpecti, vix à ſe potuit impetrare, vt pro defuncto oraret. aſſiduè occurrebat, ſatiùs eſſe illius implorare patrociniũ, quàm pia pro illo conquirere ſuffragia: illum apud Deum degere, non indigum opis, ſed potentem auxilij. Clemens VIII. Pont. Max. litteris ſignatis 18. Martij, anno 1600. Ferdinandum ſumpto ex Euangeliis præconio *bonam arborem* nuncupauit. Eodem anno 9. Decembris, cùm eius zelum, quo, Deo auctore in Hæreſin exarſerat, commendaſſet, diuino planè

Summi Pontifices.

planè Spiritu afflatus, vt euentus docuit, sic scripsit: *Deus tecum erit adiutor fortis, & omnia sua consilia diriget in viam salutis.* Iam Paulus V. anno 1610. Ferdinandi animum *pietate, prudentiâ, fortitudine, ceterisq́; virtutibus abundè exornatum* pronuntiauit. Anno verò 1616. *Ferdinandi virtutem egregiam esse, ac viro Principe Deumq́; timente dignam* asseruit. Gregorius XV. exponenti cuidam, quàm piè præclareque Cæsaris Ferdinandi proles educaretur: *Quomodo,* inquit, *non optimè educarentur tam sancti Imperatoris filij?* Claudamus summorum virorum hæc de Ferdinandi virtute elogia, Vrbani VIII. qui hodie toti præest Ecclesiæ, testimonio, & quidem nobilissimo, dignoque & Pontifice qui dedit, & Ferdinando de quo dedit. Anno 1634. die 7. Iulij Vrbanus VIII. quodam Breui per Mala-

testam Ballionium, præstanti virtute Pisaurensem Episcopum, dignissimum Sedis Apostolicæ in Aulâ Cæsareâ Nuntium allato, sic Ferdinandi innocentiam extulit: *Gratias Deo agimus immortales, quòd Cæsari, iam inde ab ineunte ætate, eum virtutis amorem, eamq́ æternorum bonorum cupiditatem iniecit, quæ illum ad vitam tot annorum spatio innocenter traducendam impulerunt.*

FINIS.

IN-

INDEX

CAPITVM.

Cap.

CAPITVM.

APPROBATIO.

AVgusti Imperatoris nostri Ferdinandi II. Vitam immortalitate dignam, dignissimam prælo iudico. Actum 7. Maij, anno 1638.

GASPAR ESTRIX
Pleb. & Lib. Censor.